


for Son &


P.



X

CB 10011944.82

FRY011/104



S I L L O G E
CONSTITUTIONUM

IN RECENTIORIBUS SYNODIS URGELLENSIBUS
EDITARUM

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

D. D. FRANCISCI ANTONII

A DUEÑA ET DE CISNEROS

EPISCOPI URGELLENSIS

JUSSU

CONCINNATA AC TYPIS EXCUSSA.



Cervariae Lacetanorum: Typis Academicis.

1799

SATILOGE
CONSTITUTIONUM

In Revolutionis Storia Historia

LITERARUM

Militaris ad Revolucionem

Ex Transcisi Antiquitatis

A Domo de la Gendarmerie

Speculum Antiquitatis

10220

Constituta de Tipis Regis



Constituta de Tipis Regis

FRANCISCUS ANTONIUS
á DUEÑA, ET CISNEROS DEI, ET APOSTOLICAE
SEDIS GRATIA EPISCOPUS URGELLENSIS
PRAEDELECTO CLERO SUO P. F.

Q UUM universi , ac solius sit ordinis Episcopalis docere gentes , gregemque Dei pascere , neque hominum mens sponte , ac lubricitate sua á veri semper et honesti ratione deflectens possit ullo modo nisi exemplaris vitae robore , consiliorum vi , et legum vinculo teneri ; nihil est profecto mirandum , si post Divinam Jesu-Christi omnium Servatoris Evangelicam legem ; si post sanctissima Apostolorum placita , atque praecepta quamplurimi postea Romani Pontifices , qui rerum Ecclesiae summam pro Christo tenuerunt , innumeras fere , ut res ipsa , et temporum ratio exposcebat , ad universi Christiani orbis felicissimum regimen , leges , constitutionesque , è supremo Ecclesiae solo ediderint aut Episcopis Ro-

mana consulentibus oracula respondentes,
aut de controversiis judicantes , aut pasto-
rali vigilantia , Pontificioque studio ad
perfectiorem ordinem singula quaeque re-
ducentes. Ipsorum siquidem vel maxime
intererat repullulans malum ab Ecclesiae
corpo resecare , eandemque , ut possent,
de omni bono , felicitateque providere.
In illud pariter , quum vehementissime in-
cumbere debeant omnes per orbem Epi-
scopi , utpote in sortem tam praecellentis
ministerii non humanitus adsciti , sed di-
vinitus cooptati ; ingentes sudores , assi-
duosque labores in Religionis honorem
consecrare nunquam destiterunt ; constitu-
tiones scilicet pro re nata condentes , qui-
bus et Divinum cultum altius eveherent ,
pravos abusus tollerent , mores reforma-
rent , et uno , ut dicam , verbo quibus
Ecclesias suas non habentes maculam , ne-
que rugam , sed omni ex parte formosas ,
Divinisque dotibus ornatissimas uni spon-
so Christo exhiberent. Quin ita quoque
Praedecessores nostri , summa adhibita ope-
ra , diligentiaque praestitissent , non modo
non dubitare , sed ne quidem suspicari po-
tui.

tuimus. Quod in caussa fuit , ut in hanc
nos Episcopalem cathedram, immerentes li-
cet, Divina tamen miseratione enecti pa-
rum de edictis , parum de decretis facien-
dis solliciti fuerimus : imo constanter ani-
mo nostro insederit in majorum nostrorum
prudentissima scita oculos , animumque
conjicere ; nobis videlicet pollicentes , sa-
tis ex ipsis consilii, et opis suppeditatum iri,
quo sarta omnia tecta tueremur. Et qui-
dem , quod eventu ipso , rerumque expe-
rimento didicimus , spem minime nos no-
stramfefellisse ; haud possumus , quin in-
gentes idcirco Deo gratias referamus , no-
bis etiam , atque universo Clero nostro
quam maxime gratulemur. Propterea si-
mul ac , nimium longis emensis itineri-
bus, ad hanc urbem , sedemque nostram
pervenire divinitus datum est ; Ecclesiasti-
cas , quas habet constitutiones manibus
continuo nostris evolvendas curavimus ,
ut , quod more majorum vitandum , aut
faciendum esset edocti , si quid aut indi-
cendum , aut resecandum in Ecclesiarum
Iustificatione reperiremus pro munere nostro
studiosissime praestaremus. Quam vero ma-

xima in illis perlegendis voluptate fuerimus recreati , quam ingenti gaudio capti haud facile dicere potuerimus : adeo enim illas juri Divino , ac Pontificio consonas esse recognovimus , ut earum singulae nihil profecto aliud , quam totidem sanctissimi utriusque juris germina videntur. In quibus etiam , sive rerum copia , sive consiliorum magnitudo spectetur ; nihil desiderandum occurrit , quod aut Ecclesiasticae rei optime gerendae , aut Christiano populo ad aeternam beatitatem ducendo fuerit opportunum. Nihilominus , quum zelo oves nostras agnoscendi , omniaque ad earum commodum perscrutandi ardenterius aestuaremus ; ubi ex Sanctorum Canonum praescripto Episcopalem Synodus coegerimus , frequentissimoque Parochorum conventu , veluti praegrandi , fulgentique corona maximo cum gaudio ornatos , atque redimitos nos vidimus ; de re omni nostra solliciti , multaque diligentius rogantes , plane intelleximus , quae totius Dioecesis nostrae ratio foret , qui Ecclesiarum ritus , qui Religionis cultus , quae Sanctorum Mysteriorum veneratio , quae gentium fides ,

des , qui mores , quae tandem Synodaliū decretorum observatio in illa perutiliter vigeret. Et quoniam nonnullas ex praeteritorum temporum legibus in desuetudinem abiisse , perpaucos exinde alicubi abusus serpsisse novimus , qui curam , diligentiamque nostram excitarent ; propterea , universa plaudente Synodo , leges illas instaurare , serpentesque abusus funditus eliminare visum est , quibusdam editis constitutionibus , quas una cum nonnullis aliis quorundam Praedecessorum nostrorum typis excussas vobis libentissime tradimus , quo nimirum vestro , omniumque commodo jus dioecesanum integrum habeatis. Illas itaque , dilecti fratres , grato animo accipite : jura omnia , Divinum praesertim , Pontificium , ac Dioecesanum assiduo evolvite , ut ad horum praescriptum vestros , hominumque , quibus colestis facis instar verbo , et exemplo praelucere debetis , ad omnem sanctimoniam mores componentes , sicque quam brevissimam hujus lucis usuram insignibus virtutum meritis cumulantibus , immarcessibilem gloriae coronam à supremo Pastorum Principe consequamini.

Id

Id ut vobis obtingat , dum , fusis ad Deum
precibus , enixe deprecamur , benedictio-
nen Episcopalem vobis etiam peramanter
impertimur. Dat. in nostris Episcopalibus
Aedibus die 14. Februarii anno Domi-
ni 1799.

Franciscus Episcopus Urgellensis.

zenthuius eamdo uniuersitatee societatis e amicorum
eiusdem pietatis co-
eiusdem pietatis co-

RECENTIORUM CONSTITUTIONUM
SYNODALIUM URGELLENSIUM,
IN TITULOS DIGESTARUM
ELENCHUS.

TIT. I. DE CONSUETUDINE.

Const. unic. Facultates communitatis Presbyterorum civitatis Urgellensis in Synodis quae posthaec habebuntur. pag. 1.

TIT. II. DE OFFICIO VICARI.

Const. I. Procurator fiscalis Ecclesiasticae saltem tonsurae gradu insignitus esse debet. p. 4
Const. II. Modus, quo et lites decidi et salaries exigi debeant ab officialibus foraneis. p. 6.

Const. III. Scriba in criminalibus caussis Clericorum non nisi Clericus esse poterit. p. 8.

TIT. III. DE PROCURATORIBUS.

Const. I. Curiae ministris et eorum adiutoribus procuratorium munus interdicitur. p. 10.

Const. II. Unicus tantum ex qualibet communitate Syndicus in Synodis admittetur,

qui vel eiusdem communitatis è corpore
sit, vel aliunde iure suffragii polleat. p. 11.

Const. III. Ex nulla Ecclesia plures admit-
tantur Syndici , nec solum conventus,
nec suffragii iure. p. 13.

TIT. III. DE DILATIONIBUS.

Const. unic. Dilationes iudiciales litiganti-
bus communes sint , etsi iudex expresse
non caverit. p. 15.

TIT. V. DE FIDE INSTRUMENTORUM.

Const. unic. De custodiendis Parochiarum
vacantium archiviis. p. 16.

**TIT. VI. DE CLERICIS NON RESIDEN-
TIBUS.**

Const. unic. Quamdiu et quo pacto liceat
Parochis à Parochia absque licentia Epi-
scopi abesse. p. 18.

**TIT. VII. DE PRAEBENDIS ET DIGNI-
TATIBUS.**

Const. I. Qua ratione beneficiorum fructus
inter antecessorem et successorem bene-
ficiatum dividendi. p. 20.

Const. II. De legitimis Parochorum ad
domos conservandas impensis facien-
dis. p. 23.

TIT. VIII. DE OFFICIO PAROCHI.

Const. I. De binis á Parocho missis alia ratio-
ne

- ne in eadem , alia in diversis Ecclesiis celebrandis. p. 24.
- Const. II.** Processiones ab Ecclesia , unde egressae , non longius discedant. p. 27.
- Const. III.** De Vicariis conductitiis sine Parochorum consensu non assumendis , vel removendis. p. 29.
- Const. IIII.** De uniformi in Dioecesi catechismi tradendi methodo. p. 31.
- Const. V.** De Parochianis omnibus catechismi examini in quadragesima subiiciendis. p. 33.
- Const. VI.** Qualiter Extrema Unctio defenda et ministranda. p. 35.
- Const. VII.** Diversas Parochias in unam coire processionem interdicitur. p. 37.
- Const. VIII.** De diebus festis debito cultu prosequendis. p. 38.
- Const. VIII.** Vicarii conductitii aliqui Sacrae cedotes nullo peculiari munere fungentes quotannis testimonium de vita et moribus exhibeant , ac Parochialis Ecclesiae functionibus intersint. p. 40.

TIT. VIII. DE SEPULTURIS.

- Const. I.** Quomodo Parochi possint permettere ut quis in maiorum sepulcris sepietiat Episcopali illius sepulcri rescripto

non apparente. p. 24.
Const. II. De cadaverum depositis, Episcopo,
si consuli possit, inconsulto non reci-
piendis. p. 44.

Const. III. In Ecclesia prohibetur sepe-
liri. p. 46.

Const. III. De Ritualis caeremoniis pro fu-
neribus faciendis omnino servandis. p. 49.

TIT. X. DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

Const. I. Referuntur abusus ab Ecclesiis
tollendi. p. 50.

Const. II. Prohibetur ne aliquid ad capella-
rum parietes vendatur, illarumque porti-
cus aut dirui, aut occludi iubentur. p. 53.

TIT. XI. DE CELEBRATIONE MISSA- RUM, SACRAMENTO EUCHARISTIAE, ET DIVINIS OFFICIIS.

Const. I. Duae missae ubi celebrari debeant,
ab eodem Parocho vel Vicario celebrari
poterunt, quoties eorum alter vel aegrotare
vel iusta ex causa abesse contigerit. p. 54.

Const. II. Bis Parochis, cum necessum fue-
rit, aliis etiam Sacerdotibus à Parochis
iusto ad binam celebrationem impedi-
mento laborantibus evocatis celebrare
permittitur. p. 55.

Const. III. Parochi aliqui, qui ad binas te-
nen-

nentur missas, poterunt ad earum celebra-tionem alium sibi Sacerdotem iusta de-caussa substituere. p. 57.

Const. III. Sacerdotes sub poena suspensi-o-nis latae sententiae ad faciendam rem sa-craim adstringuntur in Ecclesia cui ad-scripti sunt, si ab istius Parocho iusto oblato stipendio invitentur. p. 58.

Const. V. Dominicis, aliisque festis diebus curati omnes missam pro populo applica-re teneantur. p. 61.

Const. VI. Processiori festi Corporis Christi et solemnibus etiam per octavam officiis Clerici omnes adesse iubentur. p. 64.

Const. VII. Conceditur Parochis facultas benedicendi ornamenta ad usum suaे Parochiae. p. 66.

Const. VIII. Praecipitur nitor et decor in sacra supellectili, ac rituum observatio in sancta prae-sertim Eucharistia conficien-da, ministranda, et exponenda. p. 67.

Const. VIII. De iusto missarum in poste-
rum stipendio. p. 70.

TIT. XII. DE BAPTISMO ET EIUS EFFECTU.

Const. unic. Ubi fons baptismalis collocan-dus, et quo instrumento aqua ad bapti-smum fundenda. p. 72.

**TIT. XIII. DE CUSTODIA EUCHA-
RISTIAE.**

Const. unic. Qualiter S. Eucharistia custodienda, ad infirmos deferenda, et venerationi populi exponenda. p. 74.

**TIT. XIV. DE ECCLESIIS AEDI-
CANDIS VEL REPARANDIS.**

Const. unic. Prohibetur altarium erectio et templorum constructio, perpetua dote ad eorum conservationem non assignata. p. 77.

**TIT. XV. NE CLERICI, VEL MONACHI
SECULARIBUS NEGOCII SE
IMMISCEANT.**

Const. unic. Interdicitur Clericis esse laicorum procuratores vel eorum bona administrare. p. 79.

**TIT. XVI. DE SPONSALIBUS ET
MATRIMONIO.**

Const. I. Matrimonium contracturis previae denuntiationes, insciis illorum Parochis, nisi ex gravi caussa oporteat, non remittantur. p. 80.

Const. II. Officialibus foraneis inconsultis interesse possunt Parochi parochianorum matrimonii, quamvis contrahentium alter exempti alicuius iurisdictioni subdatur, dum-

dummodo intra limites Dioecesis sit. p. 82.

Const. III. Qua ratione Sacerdos non Parochus , matrimonii interesse possit, facta sibi potestate ab Episcopo , aut eius Vicario generali. p. 83.

Const. IIII. Scriba curiae Episcopalis tenetur Parochos matrimonium contrahere volentium de obiectis ac in libris curiae adnotatis impedimentis admonere. p. 85.

Const. V. De matrimonii non proclamandis, quin prius contrahentes in doctrina christiana habiles inventi fuerint, ac de parentum vel eorum quorum intersit , consensu constiterit. p. 87.

TIT. XVII. DE INIURIIS ET DAMNO DATO.

Const. I. Arcentur laici à criminibus Clericis temere obiciendis , iudicibusque ecclesiasticis illorum accusationibus , nisi idonee caverint , deferre prohibetur. p. 90.

Const. II. Innovatur praecedens constitutio. p. 93.

TIT. XVIII. DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS.

Const. I. Vicarii conductitii extra Parochiam cui inserviunt confessiones excipere nequeunt

queunt; nisi à propriis Parochis fuerint
ad id muneras ad suas paroecias evoca-
ti. p. 94.

Const. II. Confessariorum et concionatorum
munera exercere volentes coetum exami-
natorum in Episcopali civitate erectum
examinis caussa adire compelluntur. p. 95.

Const. III. Conceditur Parochis facultas ab-
solvendi à peccatis Episcopo etiam in
Synodo reservatis, incestuque pollutis
matrimonii usum restituendi, certis li-
mitibus constitutis. p. 98.

Const. III. In quolibet Dioecesis officialatu
examinatorum coetus constituitur, ad
iustum subeundum examen quicunque
voluerint confessariorum vel conciona-
torum munera obire. p. 100.

Const. V. Permittitur Parochis licentias Vi-
cariis et coadiutoribus suis ad certum
tempus et ex iusta caussa prorogare. p. 102.

TIT. XXIII DE PONENTIENS
ET REMISSORIBUS

Const. I. Vicarii congregati extra Parochiam
coi inter viam confessiones excusare ne-
dantur.

RE-



RECENTIORUM CONSTITUTIONUM
SYNODALIUM
URGELLENSIUM
TITULUS I.
DE CONSuetudine.

CONSTITUTIO UNICA.

Definiuntur facultates Communitatis Presbyterorum Pietatis Civitatis Urgellensis in ulterioribus Synodis celebrandis.

D. Franciscus à Dueña et de Cisneros *in Synodo Urgellensi an. 1798.*

DIUTUNDO rerum usu permisum, et ad haec usque tempora retentum est, ut quoties Urgellenses Episcopi Dioecesánam Synodus celebrandam indicerent, Presbyterorum Pietatis coetus, quos

A ma-

2 Recent. Const. Synod. Urgell.

maxime voluisse, eximio Praesidis, Relatoris, Consiliarii, et Oratoris munere decoraret; Oratorem nunquam, aut quam rarissime, Praesidem vero, Relatorem, et Consiliarium è suo semper contubernio desumens. Qua de re contentiose admodum, et pro merito in hac Synodo actum, et disceptatum est. Iniquum enim, atque praeposterum videbatur, universae, amplissimaeque totius Dioecesis Synodo, virum fortasse praefeci solo presbyteratus ordine fulgentem, nullo alioqui munere, nec dignitatis gradu conspicuum: nudum etiam deputari Beneficiarum, qui in actis Synodi ad Illustrissimum Episcopum Almae Cathedralis Canonicis stipatum deferendis, primas habeat, tribus aliis Relatoribus à Synodo electis sociandus, et omnibus quidem suprema Docturae laurea, Parochiae, aut Canonicatus honore insignitis. Et quoniam, etsi non levis sit longaevi usus auctoritas, nec facile, ac temere, quos diuturnitas temporis approbavit, mores sint infirmandi; (a) secus vero, quum ad iustum ordinem redigi oporteat, si qua ex parte

no-

(a) Cap. 2. et 9. de Consuetudine.

Titulus I. De Consuetudine. 3

noxii sint , si cui iacturam inferant , si canonicis obvient institutis , si ab aequo dilabantur ; (a) propterea , universa Synodo , ipsa etiam Presbyterorum pietatis Communitate plaudente , ordinamus , atque sancimus , ut in posterum penes ipsam Communitatem sit Dioecesanae Synodo Praesidem deputare , nullo tamen modo admitendum , imo iure casuram suo , nisi qui electus fuerit suffragii iure polleat , et Parochi proprii , ut aiunt , et actualis munere commendetur . Et vero in tam eximio munere deferendo omnes et singulos Urgellensis Coetus Presbyteros vehementer hortamus , ut ob oculos totius Dioecesis Parochos habentes , illum seligant , qui optimorum studiorum non exiguum fructum ceperit ; qui in re Theologica sit apprime versatus , Canonum peritus , Disciplinae cognitor , vetustatis minime rudis , rerum etiam , et exemplorum scientia , et usu non parum excultus . Id enim suo sibi iure vindicat et amplissima Synodi dignitas , et gravissimum Praesidis munus ; quem profecto multa abdite cum Illustrissimo ,

A 2

(a) Cap. 1. et 3. eod.

atque Sapientissimo Antistite praeloqui oportet in futuris Synodi sessionibus ad ipsorum discussionem , et definitionem palam proponenda. Quod ad Syndici , et Oratoris nominationem spectat , nulla novitate facta , antiquum Communitatis ius , et consuetudo servetur. At universae Synodi perpetum ius esto , et potestas Consiliarios omnes , et Relatores creandi , hac tamen, eaque inviolabili lege, ut in Consiliariorum numerum unus , et in Relatorum ordinem alter ē Presbyteris dictae Communitatis semper cooptetur.

TIT. II.

DE OFFICIO VICARI.

CONSTIT. I.

*Procurator Fiscalis nemo constituatur qui non
praefulgeat , aut Sacerdotali dignitate ,
aut saltem Ecclesiasticae tonsurae
gradu insignitus.*

D. Franciscus Cathalan in Synodo Urgellen-
si an. 1758.

VEtusto , et perantiquo Sacrorum Ca-
nonum iure stabilitum legimus ,
Clericorum vitam , et conversationem se-

cre-

tam esse debere , et à laicorum actibus remotam , neque ab iis ullenius impetendam , qui eorum castitatem et gravitatem nolunt imitari. Eundem in modum iure cautum , et rationi consonum est , Clericorum , et laicorum litigationem debere esse seiunctam , quorum conversationem , et vitam oportet esse discretam. Legum igitur istarum auctoritate commoti , rerum quoque experientia edocti , in dedecus cedere Ordinis Ecclesiastici , quod laici Procuratorum Fiscalium munus in Curiis nostris exercentes caussas agitent Clericorum ; maiorum nostrorum vestigia sequuti , et graves ipsorum hac de re Constitutiones ob oculos habentes , perpetuo decreto sancimus , ne Procuratoris Fiscalis munus laico cuiquam ulterius deferatur , sed iis dumtaxat , qui aut summa Sacerdotii amplitudine conspicui fuerint , aut quos Ecclesiasticae tonsurae ornamentum à laicorum ordine segregaverit. Et quòamplius bono Ecclesiasticorum nomini , et famae consulamus ; illud etiam , Synodali accedente Consilio , providemus , ne ulterius ad alium , quam ad Parochum , aut Ecclesiasticum alium vicinorem litterae

rae remittantur , quae , ut in aliquem Clericum exequutioni mandentur à Tribunalibus nostris fuerint expeditae.

CONSTITUTIO II..

Officialibus foraneis praescribitur modus in decidendis litibus , et Salariis exigendis.

D. Franciscus Fernandez in Synodo Urgelensi an. 1763.

Nimium acerbo , et vix ferendo animi dolore excruciamur quoties audimus , Officiales quosdam foraneos , pecuniarum cupidine illectos , aut potius coeca raptos avaritia , lites scripto decidere velle , ad quas ore tenus iudicandas , iam ex Maiorum nostrorum Constitutionibus adstringuntur. Alia insuper moliri novimus , ut à litigatoribus pecunias extorqueant ; neque in mercede sua sive salario exigendo Curiae nostrae Episcopalis aestimationem , aut taxam observare , sed ea contempta , plus à litigantibus accipere , quam ex illius praescrip-

scripto debeatur. Quae omnia contra ius, fasque admissa, adeo Synodi sollicitudinem, curamque nostram exacuant pastoralem; ut hac decisione nostra Officialibus foraneis acriter praecipiamus, ut Synodales leges, et Curiae nostrae taxam ob oculos habentes, leviores, quinquaginta nempe solidorum ad se delatas caussas (a) verbali iudicio definiant, neque ullo modo quidquam à litigantibus exigere aut recipere audeant ultra salarium, quod iure, et ex Curiae nostrae norma, et consuetudine exigendum sit. Alioqui veluti legum, et conscientiae suae proditores ab officio prius amotos, ad restituendum acceptum, et omnia damna sacerienda compellemus; aliisque ad arbitrium nostrum irrogandis poenis, ob tam impudens furtum, et non ferendam iniuriam ipsos castigabimus.

CON-

(a) *Const. 2. lib. I. tit. 7. de Officio Vicarii.*

CONSTITUTIO III.

Scribae munus, in Caussis Criminalibus Clericorum Laicis in posterum non deferatur, sed ad illud obeundum, ex Clericali ordine viri erunt desumendi.

D. Joannes Garcia in Synod. Urgell. an. 1781.

NON modo in privatorum hominum infamiam, sed in totius Ordinis Ecclesiastici vertitur turpitudinem, atque ignominiam, quod rumore spargantur, et in omnium auribus personent delicta, de quibus Clerici nonnumquam redarguuntur. Hinc accidit, ut praerepto iudicio, maligna vulgi opinione tanquam nocentissimi damnentur, qui postea sententiae definitivae calculo innocentes fuisse probantur. Magna id ex parte usu venire noscimus, quod laici, quibus non multum curae est Clericorum existimationi consulere parum caute se gerant tum in rebus, seu conditione caussae, tum in huius actis, sive scriptis accurate caelandis. Nostra igitur quum intersit omnem adhibere operam, ne infamiae labe Ecclesiastico nomine resper-

Tit. II. De Officio Vicarii. 9

so , sanctum ipsius ministerium vitupere-
tur ; Synodo postulante , saeculi etiam , ac
Regni nostri sanctionibus , et legibus an-
nuentibus , (a) huiusmodi edimus constitutio-
nem , vi cuius statutum relinquimus , ut
si in urbe de alicuius clericī crimen
inquirendum , atque agendum fuerit , Vi-
carius noster generalis clericorum aliquem
moribus , et vita probatissimum sibi as-
sumat , si commodè fieri potest , qui scri-
bae partes teneat , totiusque Caussae se-
riem atque ordinem summo silentio in
scripta sua redigat . Si autem extra urbem ,
et prōcul ab ipsa dēl clericorum crimini-
bus quaerendum sit , et Vicario nostro ge-
neralim partes suas alicui delegandas ex-
pedire videatur ; volumus , ut huiusmo-
di delegationis honos solis clericis defe-
ratur , qui delegatorum Judicū auctori-
tate fungentes , ad instrumenta caussae con-
ficienda alterius clericī ministerio instar
scribae uti debebunt . Clericis tamen illis
quibus nos ad huiusmodi caussas scribarum
litteras , sive titulos dederimus , poenis ac

B mul-

(a) *Pragmatica Sanctio Caroli III. Hispaniarum Re-*
gis edita die 18. Januarii an. 1770. Matriti publicata die
27. eiusd. mens. et an. L. 49. lib. 4. tit. 25. Recopilat.

multis arbitratu nostro inferendis , omnino interdicimus , quod etiam regiis sanctionibus vetitum est , scribarum munus in aliis caassis quibuscumque , aut cuiusvis generis negotiis exercere .

TIT. III.**DE PROCURATORIBUS.**

CONST. Tomos

Curiae Ministris, ipsorumque librariis , seu amanuensibus procuratorium munus nullum interdictitur .

D. Franciscus Cathalán in Synodo Urgel-
lensi an. 1758.

Synodo referente , intelleximus , non pauca , eaque gravissima damna inferri posse litigantibus , si procuratorum partes curiae Ministri , quiue illis in scribendi munere inserviunt , ulterius agere permittantur . Et quoniam nobis curae est , commissi gregis salutem , et iura undequaque tueri ; secularium Principum prudentiam sequuti , qui quam scitissime Fiscum , aliosque , qui gratia , vel potentia sua litigatoribus formidolosi videantur a procu-

ran-

Tit. III. De Procuratoribus

11.

randi munere removerunt ; (a) statuimus, atque observandum volumus, ne in posterum curiae nostrae Ministri, eorumque adiutores ulla tenus pro litigantibus procurare valeant, iusta alioqui animadversione coercendi, si temerario conatu constitutio nem hanc nostram violare praesumpserint.

CONSTITUTIO II.

Ex quacumque Communitate Ecclesiastica, etiam si Collegiata sit, aut Collegiatae privilegiis gaudeat, non nisi unicus ad Synodum deputatus Syndicus admittatur; qui si non sit è corpore ipsius Collegiatae, aut Communitatis, nec aliunde votum habeat in Synodo, pariter reiciatur.

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

A Eque absonum, ac moribus nostris, et institutis canonicis alienum est, plures ex eodem Ecclesiastico Collegio Syndici, aut Procuratoris munere donatos ad diocesanam Synodus accedere, eius-

B 2

que

(a) Leg. 3. et tot. Tit. Cod. Ne Fiscus, vel Respub. procur. Tit. Cod. Ne liceat potentioribus.

12 *Recent. Const. Synod. Urgell.*

que actis omnibus intervenire. Neque etiam ullo modo ferendum est Synodo interesse, procuratoriae etiam obtentu dignitatis, eos, qui nec de corpore Capituli mittentis sint, nec alia de caussa iure polleant, aut consilii in Synodo dandi, aut in eadem suffragii ferendi. Huiusmodi tamen abusus, quum à quibusdam in nostram Synodum obtrudi audierimus; ad illos, veluti rixarum, et perturbationum sentinas, protinus convel lendos, Sanctorum Conciliorum, et Pontificum placitis adnixi; (a) omnibus Dioecesis nostrae Collegiatis, ac Communitatibus hac nostra constitutione mandamus, ut quandocumque in posterum à Nobis aut a Successoribus nostris Dioecesana Syndicus indicatur, unicum dumtaxat Syndicu m, aut Procuratorem mittant in solidum, et à maiori parte deputatum, qui aut de corpore sit, aut si extraneus fuerit, sententiam tamen dicere, aut votum aliunde in Synodo dare possit. Si secus actum fuerit, et Syndici pudore suffusi Synodo efficientur, et Collegia, aut Communitates,

quae

(a) *Conc. Lataran. sub. Innocentio III. cap. 24. Boni-
ac. VIII. cap. 46. de Elect. et Elec. pot. in 6.*

quae nostram hanc legem violaverint pro-
merita poena multabuntur. Praerogativis ta-
men , quibus gaudet Communitas Presby-
terorum nostrae Civitatis Urgellensis nihil
hac nostra constitutione derogatum volu-
mus.

CONSTITUTIO III.

*Ex nulla Communitate Ecclesiastica , etiam si
Collegiata sit , plures Syndici admittantur ,
nec iure suffragii , nec conventus solum.*

**D. Franciscus à Dueña , et de Cisneros in
Synodo Urgellensi an. 1798.**

Uris utriusque auctoritate suprema aperte
conclusum est , pluribus procuratoribus
in solidum simul datis , occupantis melio-
rem conditionem futuram , ut posterior non
sit in eo , quod prior petit procurator. (a)
Hac de caussa maiores nostri nonnullorum
conatus binos Syndicos è suo corpore in
Dioecesanam Synodus obtrudere volen-
tium , tanquam quid absonum , ac mori-
bus nostris , et institutis canonicis alienum ,
sua

(a) *L. 32. D. de Procuratoribus , et Defensoribus , et
cap. 46. de Electione , et Elect. potestate in 6.*

sua sapientissima constitutione multaverunt. Collegii tamen Podicaeritani Syndicus constitutioni illi non acquiescens omnino, imo ejus vim aliqua ex parte eludere tentans, iterato contendit, integrum Collegio suo esse binos Syndicos ad Synodum mittere; non ea tamen conditione, ut votum quisque suum dicere possit, sed ut ambo Synodum convenient, simul cum aliis assideant, rebusque omnibus gerendis interveniant. Quam etiam contentionem, momentis omnibus expensis, pari omnium consensione Synodus reiiciendam censuit, utpote inimicam iuri, nec ullo vetustatis robore commendatam. Igitur huiusmodi contentionibus aditum paecludere volentes, constitutiones hac de re editas perpetuo valituras innovamus, adiicientes insuper, ut nullus omnino nisi unicus è qualibet Communitate, aut Collegio Syndicus secundum canones in Synodo admittatur, etiam obtentu tantum interveniendi, non sententiam dicendi caussa.

TIT. IV.

DE DILATIONIBUS.

CONSTITUTIO UNICA.

*Dilatōnes iudicialeſ litigantib⁹ communes
ſunto, quamvis Judicis decret⁹ aperte
non caveatur.*

D. Joachimus à Santiyan *in Synodo Ur-*
gellensi an. 1772.

Itigantium fortunae, pax, et innocentia litium ardore, ac diuturnitate in Reipublicae perniciem penitus dissolvuntur. Res etiam christiana non modicum inde labefactari semper visa est, Christi videlicet institutis proculcatis, et christianorum moribus eversis. Non nisi igitur fidei, et pastoralis munera sanctitati deficienteſ, praetermittere possumus, quin tantam levare calamitatem, et tam ingentia evertere damna pro viribus obnitamur. Jurantium itaque controversias celeri, quantum fieri possit, sententia ex canonum praescripto (a) terminari desideranteſ, non

(a) *Cap. 2. de Sententia, et re iudicata. Cap. 5. de Dolo, et Contumacia. Cap. 12. de Procuratorib⁹. Conc. Trident. Sess. 25. de Reformat. Cap. 10.*

modo quoscumque ditionis nostrae Judices
vehementer hortamur, ut, frivolis exce-
ptionibus non auditis, nimium longis dila-
tionibus negatis, omnibus denique modis
litium consulant brevitati; sed etiam Syno-
di postulatis adnuentes praecipimus, ac
definimus, etsi forte disertis verbis Judex
decreto suo non caverit, dilationes tamen ad
alterutrius litigantium petitionem concessas,
actori simul, et reo intelligendas, et fu-
turas esse communes; quo nimirum hac
etiam ratione differendis litibus via praescin-
datur.

TIT. V.**DE FIDE INSTRUMENTORUM.****CONSTITUTIO UNICA.**

*Parochiis vacantibus, quomodo illarum ar-
chivia sint custodienda?*

D. Franciscus à Dueña, et de Cisneros *in Sy-*
nodo Urgellensi an. 1798.

Communis omnium exposcit utilitas, ut
tabularia publica summa religione cu-
stodiantur: neque quantumcumque in illis
custodiendis conferatur studium, superva-
cuum

cuum , et nimium unquam adhibebitur. Quod enim non raro contingit, facile est authentica perire exemplaria , aut tam multis depravari modis , ut vel integrum fidem amittant , vel nonnisi suspiciosa , et sublestā potiantur. Noxiis huiusmodi casibus, qui , vacantibns Parochiis , facilius evenire possunt, quantum in Nobis est occurrerē cūpientes; imperare decrevimus, ut hac nostra constitutione imperamus ; ut quotiescumque Parochiam aliquam quoquo modo vacare contigerit, vicinior Parochus vacātem Parochiam adeat , illius cartophylacium , seu archivium securius occludat , clavem apud se diligentissime retineat , et quinque parochiales libros Oeconomō , seu interim subrogato Rectori tantummodo relinquat. Si qua vero interea scriptura in tabularium referenda sit , aut aliqua ex ipso transcribenda ; ab Oeconomō praemonitus vicinior ille ipse Parochus , aut huius nomine optimae fidei , cui clavem credat , Sacerdos sese cum clave ad vacantem Parochiam conferet, novum stilicet exemplar in tabularium repositurus , aut antiquum ad describendum extracturus ; stipendium (si quod furcit) in

aequas partes Parochum inter et Oeconomum dividendo.

TIT. VI.**DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.****CONSTIT. UNICA.**

Declaratur quamdiu , et quo pacto ab Ecclesiis suis abesse possint curam animarum gerentes , licentia ab Episcopo non petita.

D. Joachimus à Santiyan in Synodo Urgellenst an. 1772.

Sententia Divina damnantur Pastores. Omnes qui mercenariorum instar creditas sibi oves deserunt ; quarum idcirco interitus acerbo illorum supplicio luendus , turpisimo ipsis criminis ab aeterno Judice dabitur. (a) Nihil est ergo mirandum , si summo Ecclesiae iudicio , ac severissima canonicum censura , omnes , qui curam gerunt animarum ad residentiam in suis Ecclesiis faciendam arctioribus laqueis teneantur. (b) Et quoniam agitatis olim disputationibus

de

(a) *Joan. 10. v. 12. et seqq.* (b) *Conc. Trident. sess. 6. de Reformat. cap. 1. et 2. sess. 23. de Reformat. cap. 1.*

Tit. VI. De Clericis non resident. 19

de tempore , quo à suis sedibus Parochi abesse possint , S. Concilium Tridentinum et SS. Patrum congregatio Conc. Trident. Interpretum decretis suis finem attulerunt; cunctos ditionis nostrae Parochos studiosissime admonemus , ut huiusmodi decretorum memores sanctissimi sui munera dignitatem , et onera recolentes , quoad possint, saluti invigilent animarum , atque in Ecclesiis suis assidue commorentur. Quum vero interdum Parochos quosdam à suis sedibus abesse ad illas statim reversuros non sine caussa contingat, et ita aliquantisper absentes ex Conc. Trident. , et veterum canonum sententia abesse minime videantur ; (a) Synodo exposcente , et Concilii provincialis indultis utentes , facultatem Parochis (quandoquidem ex ipsis multi bidui etiam itinere ab Episcopali sede seiuncti sunt) elargimur à Parochiis suis perbreviter discedendi , idoneo tamen relicto Sacerdote , qui et Sacraenta interea ministrare , ac rem omnem parochiale apte perficere possit. Si tamen ipsorum discussus ad dierum

C 2

quin-

(a) *Corc. Trident. sess. 23. de Reformat. Can. Praesentium caus. 7. quaest. 1.*

quindecim spatium protrahendus foret , à nobis aut à nostro Vicario generali , aut saltem ab officiali foraneo licentiam expendendam , et obtainendam esse mandamus.

TIT. VII.**DE PRAEBENDIS, ET DIGNITATIBUS.****CONSTITUTIO I.**

Cavetur qua ratione dividendi sint beneficiorum fructus inter beneficiatum praedecessorem , et eius successorem.

D. Joachimus à Santiyan in Synodo Urgellensi an. 1772.

Non beneficiorum fructibus dividendis , illorum quorum partem ex ipsis capere interest animos dissidere , simultatesque inter eos , contentiones ac lites saepius agitari , aegerrime audimus , vehementerque dolemus. Litium igitur tollendarum , pacisque fovendae caussa , Synodi rogatu hanc edimus constitutionem , quam vim legis habituram , ac beneficiorum fructuum dividendorum perpetuum canonem , et normam esse volumus. Non unius generis sunt be-

beneficiorum proventus ; sed ex decimis, primitiis , praediorum fructibus constant, aliisque quasi fructibus , seu diversi ordinis emolumentis. Qui dividendi sint decimorum , et primitiarum fructus inter beneficium vita functum , aut resignantem , et eius successorem satis aperte maiores nostri tradiderunt ; (a) quorum placita auctoritate nostra firmata accuratius , ac diligentius observari praecipimus. De via tamen a ratione fructus alios , aut cuiusque generis proventus dividendi , aut omnino tacuerunt , aut forte non satis perspicue , quodnam esset suum ipsorum consilium , conditis hac de re statutis , nobis indicarunt. Quare ad viam difficultatibus intersecandam , rem omnem huiusmodi limitibus circumscribendam decernimus. Si qua beneficia praediis rusticis potiantur , neque eorum caussa muneris cuiusquam adimplendi obligatio ulla haereat obtentori , quod tum in beneficiis curatis , tum in simplicibus usu venire scimus ; huiusmodi praediorum fructus , et impensae antecessori beneficiato cum eius successore communes sunto , quos

(a) *Constit. 4. lib. 3. tit. 4. de Praebend. et Dignitat.*

inter dividantur, ut de decimis , et primitiis distribuendis constitutum est , habita scilicet anni temporis ratione , quo uterque beneficium obtinuit , et ab elapso , aut fluente mense Maio ad eundem venturum mensem tempora supputando. Ad eandem quoque regulam dirigendas praecipimus quascumque in posterum faciendas divisiones fructuum civilium , quasi fructuum , atque emolumentorum omnium , quorum perceptio ad aliquod particulare onus subeundum beneficiatum non adstringat. Si tamen praedicti fructus Missarum celebrandarum , aut alterius pii operis exequendi oneri obnoxii fuerint ; à Januario ad Januarium erit annus deducendus : et si pia opera adimplenda , aut Missae celebrandae venerint certis iam , statisque diebus ; tantundem beneficiato priori ex his fructibus concedatur , quantum ipsi ratione sui muneric statis illis diebus exacti respondeat , et reliquum fructuum successori cedat ad sua etiam munera reliquis statis diebus perficienda. Quod si vero aut Missarum celebrandarum , aut piorum operum exercendorum praefiniti aut certi dies non fuerint;

Parochis omnibus , beneficiatis , et Oeconomis auctoritate nostra mandamus , ut statim ab huius nostrae constitutionis publicatione piorum illorum operum exercitacionem , et Missarum celebrationem ex aequo in singulos menses distribuant , ut tantum ex illis fructibus beneficiati ambo percipient antecessor scilicet , et successor , quantum quisque temporis beneficio servierit . Quod ad illa spectat praedia , ex quibus non quoquo anno , sed altero interiecto , fructus capiuntur , in divisione fructuum peragenda , non unius anni , sed biennii ratio habenda erit .

CONSTITUTIO II.

Praescribitur quid quotannis à Parochis , et beneficiatis omnibus impendendum ad suas domos conser vandas , et reparandas .

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

Quod forsitan nullibi iure cautum , à maioribus nostris constitutum , et ad hæc usque tempora moribus confir-

firmatum reperimus , aedes nimirum parochiales à Parochis ipsis sartas tectas esse conservandas. Itaque praedecessorum nostrorum statuta auctoritate nostra roborantes, Synodo exposcente , Parochis , omnibusque beneficium ecclesiasticum obtinentibus praestitui-
mus , ut beneficiorum suorum domibus con- servandis , ac reparandis sedulam navent operam , binas quotannis ex singulis centen- nis libris suorum reddituum in illarum con- servationem , et reparationem impendentes; quod videlicet antiqua quindecim regalium aestimatio per exigua his temporibus esse vi- deatur.

TIT. VIII.

DE OFFICIO PAROCHI.

CONSTIT. I.

Statuitur , qua ratione liceat Parocco binas Missas diebus festis in eadem Ecclesia cele- brare , in diversis Ecclesiis aliter illas celebraturo.

D. Franciscus Cathalán in Synodo Urgel- lensi an. 1758.

S I canonicis ac sanctis scripturis , con- ciliarum decretis , ac Patrum placitis vel

vel paululum attendamus, nullo paene nego-
tio perspiciemus, omni prorsus iure tan-
quam Divina ultione dignos, et extremi
exitii reos damnari Parochos qui sui imme-
mores sibique commissarum ovium oblii,
Divinae praedicationis verbum illis sub-
trahentes, operam non impendunt, ut salu-
taribus monitis, sanctisque consiliis ipsas
ad vitia vitanda, virtutes possidendas, aeter-
namque felicitatem summopere curandam
adigant et hortentur. Quapropter Pasto-
res omnes animarum enixe rogamus, at-
que per omnipotentem iudicem criminum
omnium ultorem, et vindicem, qui quae
perierint ovium sanguinem, ac vitam non
aliunde quam à Pastorum manibus ex-
quiret, vehementius obtestamur, ut diebus
saltem Dominicis, aliisque sollemnibus cre-
ditum sibi gregem fidei rudimenta, Evan-
gelii dogmata, remque omnem Divinam
pro ipsius captu doceant; illud in primis
memoria repetentes, nihil profuturum
Pastori, si, se inscio, aut non, ut par est,
studiosius agente, adveniens lupus oves ra-
piat, laceret, atque dispergat. Nonnulli
tamen Parochi non quidem excusationis

obtentu , sed praecipuas sui muneras partes studio adimplendo commoti nobis obiecerunt , vix plebibus suis instruendis operam ullam dare posse , quod illorum parochiae ex multis constent oppidis nimiumque seiunctis , totumque tempus in itineribus conficiendis , sacrisque operandis impediatur , quum ob sacerdotum penuriam , et gentium egestatem binas ipsi Missas , binas quoque ipsorum Vicarii singulis diebus festis in diversis Ecclesiis dicere compellantur . Ne ergo pereant homines ignorantiae laqueo irretiti , et ut huiusmodi Parochi possint liberius Divini verbi predicationi vacare , ipsis , Synodo exposcente , indulgendum duximus , prout hac nostra constitutione indulgemus , ut binas , quas celebrant Missas , alteram in Ecclesia Parochiali , alteram in aliqua ex adnexis , possint ambas in eadem Ecclesia celebrare : Id tamen non continuo , sed alternis , aut alternis fere vicibus faciendum permittitur . Idem quoque liceat Parochorum Vicariis , quando Parochi sacram unum fecerint in altera ex adnexis , alterum in altera , quo oves omnes Pastoris praesentia recreatae ,

ipsius

ipsius etiam voce ac salutis monitis ad coelestis vitae pascua dirigantur.

CONSTITUTIO II.

*Processiones, etsi ultra Parochiae limites non abeant, ab Ecclesia tamen, unde eges-
sae fuerint longius discedere nequeunt.*

D. Joannes Garcia in Synod. Urgll. an. 1781.

Plas publicasque supplicationes non pra-
vis moribus temerandas, sed omni mo-
destia, pietate, ac religionis signis esse
prosequendas, etsi iura non praeciperent,
ipsarum tamen origo, sanctum, religiosis-
simumque institutum satis, superque suad-
erent. Siquidem, quum magna ac Divi-
na mysteria continent ad pietatem fide-
lium excitandam, ad ingentia beneficia ab
omnipotente Deo in nos collata recolenda,
ad summas gratias devotissimo animo ipsi
referendas, ad Divinam iram placandam,
ad Sanctorum intercessionem implorandam,
ad Dei ipsius opem in difficilemissimis tempo-
ribus, calamitosisque rebus promerendam

à Sanctis Ecclesiae Patribus fuerint comparatae; nihil in illas invehī oportet, quod non ex modesto, pio, devoto animo, intimo, atque ardente in religionem amore proficiisci noscatur. (a) Verumtamen luctuosissima nec satis unquam deploranda sorte, in supplicationibus praesertim longius ab Ecclesiis ad remotiora sacella defluentibus, optima quaeque à suis sedibus deturbari, et sacris profana omnia commisceri continet. Populum enim in huiusmodi Processionibus, pietatis sensibus amissis, precan- di ritu despecto, religione ipsa per sum- mum facinus profanata, comessationibus, ludis, saltationibus indulgere novimus; ex quibus nonnisi iurgia, turpiloquia, libidinosa gesta, aliaque flagitia opus est oriantur. Tam multis igitur, tamque acerbis rei christianaे malis, quantum in nobis est, mederi satagentes, in animum induximus Dioecesanas hac de re consti- tutiones instaurare, et hoc nostro decreto, quod diligentissime observandum proponi-

(a) *Ritual. Rom. tit. de Procession. v. I. videant. &c.*
& v. omnes &c. Conc. Colonien. 4. cap. 22. Sacerdot.
Rom. part. 3. tract. I. cap. 4.

Tit. VIII. De Officio Parochi.

29

mūs , Parochis omnibus iniungere , ne, quamvis Parochiarum fines non transgrediantur , publicas tamen Processiones ad adeo remota loca deducant , ut intra binas leucas ad Ecclesiam , unde exierint non possint commode remeare.

CONSTITUTIO III.

Sine Parochorum consensu nec assumantur Vicarii conductitii , nec assumpti à suo munere , invitatis Parochis , amoveantur.

D. Joannes Garcia in Syn. Urgel. an. 1781.

Maxima Parochis irrogatur iniuria ; multa etiam eaque gravissima damna rei Ecclesiasticae , animarum saluti , et pastorali regimini accedere videntur ex pravo populorum abusu conductos Vicarios in Parochiales Ecclesias , inconsultis Parochis , obtrudendi , illosque , ut libuerit , ab iisdem , et à Vicariorum munere , reclamantibus etiam Parochis , expellendi . Absolum quippe est , nec iniuria vacat , Ecclesiarum Praefectos ad proprium , et pastore

rale munus cum hominibus illis dividendum cogi quos forte non idoneos iure merito reputaverint. Neque etiam ferendum est, populorum eorundem arbitratu, quod scilicet ipsi conductis Vicariis praestitutam mercedem è rebus suis solvant, munere et gradu suo Vicarios illos cadere, quos scientia aptos, consilio idoneos, virtute claros, opera impigros, ac diligentes experimento suo Parochi esse comprobaverant. Quin etiam plerumque pauperes sunt, et arcta fortuna viri, qui operas suas eloquent, ut alienis Parochiis inserviant: quo fit, ut veriti, ne temere expellantur, ultra quam par est gentium votis indulgeant, et à populis idcirco contra praeceptum Apostolicum contemnantur, neque illos possint severius alloqui, et hortari, nec cum imperio redarguere. Quamobrem, Synodo postulante, praecipiendum censemus, ne Sacerdos ullus, Vicarii munere ad se delato, in aliqua ex Dioecesis nostrae Parochiis fungi audeat, Parochi consensu non prius requisito, et obtento. Quod si Vicariorum quidam amovendi, aliquie in illorum locum fuerint subrogandi, Parochorum

rum quoque consensum habendum esse mandamus ; nisi forsitan , cognita à nobis caussa, contrarium aliquando decreverimus.

CONSTITUTIO IV.

Instructio christiana , sive catechismus uniformiter in singulis Parochiis , et in tota Dioecesi tradatur.

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

QUOTIDIANO instruimur experimento , ob nimiam imbecillitatem hominum genus solidiore cibo languescere , et puriore lacte nutriti . Hac igitur de caussa maturissime atque sanctissime à Tridentina Synodo in mandatis accepimus , ut saltem Dominicis , et aliis festis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta , et obedientiam erga Deum , et parentes diligenter doceri curemus . Ad tam sanctam rem accuratius exequendam uno se verbo obligarunt quicumque animarnm curam gesturi , Parochiale munus susceperunt , iam ut maturo iudicio sine ulla iudicis religione condemnentur qui creditum sibi gregem hac

32 *Recent. Const. Synod. Urgell.*

hac in re defraudaverint. At , Synodo novimus referente , longe ex instructione christiana uberiōres fructus capiendos , si pueri fidelesque omnes eadem via , et ratione , interrogatisque iisdem , iisdemque responsis fidei , morumque rudimenta per universam Dioecesim edocerentur. Quumque ita Nobis merito persuadeamus , statim ac Nos , absoluta Synodo , colligere potuerimus ; cuncto populo nostro verbo , et opere praeesse cupientes , nervos omnes intendemus , ut prolixiorē catechismū in breviorem , eamque puerorum , et gentium captui accomodatiōrem institutionem , edito libello , contrahamus. Illam ergo Parochis omnibus , omnibusque per Dioecesim Presbyteris habendam , evolvendamque iubemus , severius hoc nostro Synodali decreto prohibentes , ne alia quispiam ad pueros in primis religionis nostrae regulis imbuendos instructione utatur , nisi zelum , benignitatemque nostram prava temeritate exagitando , aerioris iudicii sententiam velit ob inobedientiam suam experiri.

CON-

CONSTITUTIO V.

Parochi omnes suos quosque Parochianos ad catechismi examen in quadragesima revocent, satisque instructis schedulam approbationis tradant, ut ad Penitentiae Sacramentum accedere possint.

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

TUrpe est, commune, viribusque omnibus eliminandum flagitium, longaeva aetate, ac nimia senectute confectos homines adeo rudimentorum fidei ignorantia laborare, ut non modo prima sanctissimae religionis elementa, quae à pueris calluerant penitus dedidicerint, sed sanctorum etiam mysteriorum notitiam ad Sacraenta percipienda summopere necessariam diuturna oblivione ex animo suo deleverint. Consilii tamen expertes, temporis angustiis obstricti Poenitentiae Ministerum adeunt Paschale, Sanctissimumque Sacramentum recepturi; potissimum scilicet illius studium in sui perniciem ante vertentes, dum ob summam rei christianaे

inscitiam aut ab expiationis sacramento repelluntur , aut diutius importuno tempore praecipua fidei capita edocendi sunt , quum suavissimis obiurgationibus , salutisque monitis à peccatorum colluvie detracti ad meliorem sanctamque vivendi viam essent deducendi. Nos igitur qui tanta pro munere nostro diligentia esse vellemus , ut ne in tenuissimis quidem rebus emendandis studium , curaque nostra desideraretur ; huiusmodi mali genus forte omnium maximum, ac Religioni magis inimicum ab ovili nostro avertere conantes, omnibus christiani gregis Parochis , ac Pastoribus vehementer indicimus , ut à primis quadragesimae diebus opportunum tempus Paroecianis suis constituant , quo omnes ante ipsum Parochum , aut alium è Clero ab ipso deputandum de fidei , et morum rudimentis examinandi sigillatim se sistant. Et quoniam Dei ministros , et mysteriorum Dei dispensatores , non modo malum ipsum , sed vel levissimam mali suspicionem vitare oportet ; ne inde vituperetur ministerium nostrum , unde omni est laude prosequendum , summa severitate mandamus , mulieres cuiusque

iūsque aetatis , et conditionis sint ad hu-
iusmodi examen subeundum non ad alium
quam ad publicum , omnibus locum ob-
vium evocentur. Quin etiam , ut christiani
omnes ad fidei mysteria perdiscenda ala-
crius agitentur , Parochi , aliique ad ex-
amen deputati approbationis schedula mu-
nerabunt quos illa dignos existimarint,
aliis omnino denegata, qui ob inscitiam suam
sese indignos exhibuerint: atque , ut ex hac
constitutione quēm intendimus fructum per-
cipiamus , confessariis omnibus interdici-
mus , ne ad Paschalia praecepta adimplen-
da cuiusquam confessionem excipient , qui
non catechismo christiano se satis esse in-
structum schedulæ testimonio comprobarit,

CONSTITUTIO VI.

*Statuitur , qualiter Extrema Unctio ad infir-
mos deferenda sit , iisque ministranda.*

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

NON ut olim infirmi ad Ecclesiam sacro
nunc inungendi oleo deferuntur; sed
sanctum oleum infirmorum domum ad illos

liniendos ex Ecclesia defertur. Itaque Parochorum est non modo Extremam Unctionem veluti Poenitentiae complementum (a) ovibus suis opportuno tempore elargiri , verum etiam curam omnem adhibere , ut ad illam administrandam omni veneratione , et cultu ad aegrotantium aedes deducatur. Qua de caussa Parochos omnes vehementer hortamur , ut munericis sui memores in extrema Unctione danda nihil ex iis praetermittant , quae ipsis Dioecesis ritus , et statuta saluberrime praescribunt. Nos vero ad maiorem sanctae Unctionis sacramento venerationem conciliandam , decernendum hac constitutione duximus , ut in qualibet Parochia bursa quaedam holoserica violacei coloris habeatur, ut in illam solum vasculum olei infirmorum inferatur , cum qua decentibus vittis ad collum appensa , et ad pectus usque super rochettum , aut superpelliceum defluente , manibus iunctis consuetisque precibus pie intentus ad aedes infirmi Sacerdos progrediatur , in illius spirituale

com-

(a) Epist. Jac. c. V. v. 15. Conc. Trident. Sess. XIV. in Doct. de Sacr. Extr. Unct. Catech. Pii V. p. 2. cap. 6, num. 14.

commodum , et solatium sanctam Unctionem devote ipsi , ac religiose ministraturus . Praeterea virgulam quamdam argenteam Parochorum cuique praesto esse volumus , qua , quum opus fuerit , securius , contemptoque periculo infirmi perungantur .

CONSTITUTIO VII.

*Diversas Parochias in unam coire processio-
nem interdicitur.*

*D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.*

SAluberrimas constitutiones de Processionibus instituendis Praedecessores nostri ediderunt . Nihil nisi pietatem redolent ; nihil nisi sanctimoniam inspirant . Gravitate tamen , ac religione plenas , velut oblivione abrasas alicubi contemptui esse scimus , decadasque , quod aiunt , sive diversarum Parochiarum greges ad unam efformandam Processionem contra maiorum , et Synodorum placita coniungi , ac sociari . Quod quum non aequo animo ferendum esse censemus , perpetuo edicto , poenisque ad arbitrium nostrum infligendis huiusmodi tumultua-

tuarios conventus potius quam religiosas Processiones , non obtenta à Nobis facultate , interdictas volumus , quantacumque etiam caussa intercesserit , quae illas exposcere videatur.

CONSTITUTIO VIII.

Iubetur Parochos pro viribus curare , ut dies festi debito cultu , et religione agantur.

D. Franciscus à Dueña , et de Cisneros *in Synodo Urgellensi an. 1798.*

Mpium profecto , et omni religione alienum est festos altissimo Omnipotentis numeri dicatos dies aut perpetuo fere otio transigere , aut immodicis voluptatibus polluere , aut servilium operum exercitione temerare . Maturius igitur Parochi nostri expendant , partium suarum esse omni cura intendere , ut huiusmodi mala certò malorum omnium radices penitus evellantur . Plurimum ad id foeliciter assequendum iuvaret , si Parochi plebem quisque suam vespertino festorum tempore aliquo sanctae religionis publico opere distentam haberet : quo sane consilio , et torpedinis caussa , et ludorum , sal-

ta-

tationum , aliorumque voluptatum occasio tolleretur : quod , ut alacrius exequantur , singulos ex intimo animo pro munere nostro adhortamur , et pro communi omnium salute per Dominum obtestamur . Servilium vero operum exercitium , quum iura omnia summa severitate prohibeant ; nihil nobis statuendum superest , nisi constitutionem nostram synodalem primam tituli primi libri secundi pravis quorundam moribus , et quorum interest incuria contemptam , atque sopitam excitare iterum , et Parochis injungere , ut illam ob oculos habentes omnino , et in omnibus suis partibus observandam procurent . Si qui autem seculi lucris inhiantes , aeterna salute postposita , illam violare tentaverint ; Praetorem , aut iustitiae administrum Parochi adeant , apud quem expostulent , ut ad regiae sanctionis praescriptum pecuniaria multa , aliisque poenis coerceantur . Quod si in reorum gratiam , aut alia ex caussa , ut idemtidem fit , delictis conniventis munus suum Praetores adimplere detractaverint , Nos hac de re admonemus Parochi , ut quod iustum fuerit studiose deliberemus , et aequius decernamus .

CON-

CONSTITUTIO VIII.

Iubetur, Vicarios conductitios, aliosque Sacerdotes nullo peculiari munere fungentes quotannis testimonium de vita, et moribus Episcopo exhibere, et omnibus Ecclesiae Parochialis, in qua degunt functionibus publicis interesse.

D. Franciscus à Dueña, et de Cisneros in Synodo Urgellensi an. 1798.

Sciant universi ditionis nostrae Clerici, altioribus praesertim mancipati ministeriis quanta praefulgere debeant, et fidei scientia, et morum disciplina; ut in ipsorum vitam tanquam in speculum oculos suos reliqui omnes coniicientes, nihil suggestandum inveniant, sed omnia praeclara, et omnium imitatione digna deprehendant. Quoniam vero non paucos in oppidorum Parochiis esse intelleximus, qui numero magis, quam vitae merito ad Ecclesiam pertinere noscuntur; Parochos omnes etiam atque etiam perhortamur, ut omnium Clericorum, qui in suis Parochiis degunt, tanquam praecipuae sui gregis portionis maximam

mam curam habeant; eos, si opus fuerit, iterato monentes, ne, ut fieri solet, aut venationibus, aut lusionibus, oppidanorum domibus adeundis nimiam impendant operam; imo ab huiusmodi abstinentes, sibi caveant, dignitati suae consulant, et totius ordinis amplitudini prospiciant. Quapropter, ut optimo Clericorum exemplo laicorum in rem Divinam studium, ac pietas magis excitetur; volumus, ac praecipimus, ut Clerici omnes assidui semper sint in omnibus publicis functionibus, sive sanctae Religionis actibus, qui in illis Porochiis, ubi degunt, sive illis ad normam constitutionum Apostolicarum fuerint adscripti, sive non, fieri contingat. Parochos etiam ex animo obtestamur, ut huiusmodi tam sanctum, et salubre statutum ab omnibus Clericis observandum procurent, suas cuique partes, et ministerium praefigendo, quo sancta Religio functionum illarum gravitate, decore, et amplitudine apud omnes vehementius commendetur. Si quis autem huic nostrae constitutioni non obtemperaverit; si Vicarius, aut coadiutor fuerit, gradu suo cadet; sin vero nulli muneri

addictus, aliter, ut aequum fuerit, in illum animadvertisetur; imperantes idcirco, ut omnes, qui Nos in posterum convenerint, Vicarii, Coadiutoris, aut alterius muneric obtinendi caussa, testimonio Parochi muniantur, quo certiores reddamur, et optimis esse moribus, et hinc nostrae constitutio ni quam diligentissime paruisse.

TIT. VIII.

DE SEPULTURIS.

CONSTITUTIO I.

Praescribitur Parochis, quomodo permittere possint, ut Parochianorum suorum cadavera in maiorum sepulcris intra Ecclesiam effossis sepeliantur, effossi sepulcri Episcopali rescripto non apparente.

D. Franciscus Fernandez in *Synodo Urgellensi* an. 1763.

Ad nostra usque tempora pervenit pia ac religiosa consuetudo hominum vita functorum cadavera in maiorum suorum sepulcra inferendi: quae adeo perantiqua est, et christianorum moribus tuenda, ut, quum

quum à sanctis veteris testamenti Patribus ortum duxerit, Romanorum etiam Pontificum sanctionibus firmiter fulciatur. (a) Saepius tamen accidere noscimus, una cum maioribus suis alioqui tumulandis nimium officere, quod progenitorum sepulcra intra Ecclesiarum septa, fornicibus superinductis, effossa sint, à quo Ecclesia ipsa semper abhorruit; (b) et quod ex litteris constare nequeat, huiusmodi sepulcra rite intra Ecclesiam, facultatem scilicet Praedecessoribus nostris largientibus, fuisse constructa. Et quum nihil caussae sit, cur huiusmodi sepulcra temere, et sine legitima potestate intra Ecclesiam condita suspicemur, imo rusticanos praesertim, et plebeios homines in scriptis custodiendis parum diligentes esse sciamus; ad rixas vitandas, quae interdum Parochos inter, et defunctorum propinquos, sua quibusque iura tuentibus exoriuntur, Synodo rogante, decernimus, et decreto hoc nostro facultatem Parochis impertimur, ut Parochianorum

F 2

suo-

(a) Genes. 50. vv. 5. 13. 24. Innocent. III. in cap. Fraternitatem 3. de Sepulturis. (b) Can. Praecipendum 15. §. Prohibendum est, caus. 13. quaest. 2. can. Nullus mortuus 18. ead. caus. et quaest.

suorum cadavera in istorum maiorum sepulcris intra Ecclesiam sitis sepelire possint, dummodo etsi non scriptis, testibus tamen fide dignis, longo usu, aut alia legitima probatione apud Parochos ipsos evincatur, defunctum, et hujus ascendentes instar dominii ius ad talia sibi sepulcra quaesivisse.

CONSTITUTIO II.

Cadaverum deposita in Ecclesiis suis fieri, Episcopo inconsulto, Parochi non permittant, nisi ob nimiam locorum distantiam consilium ab Episcopo expeti nequivisset.

D. Joachimus à Santiyan in Synodo Urgellensi an. 1772.

SI non christiana pietas, humana nos ratio suaderet, ut miserandam fratrum calamitatem, qui extremum naturae debitum persolverunt, omni suffragiorum, et solatii genere levare conaremur; praesertim quum sciamus, longissimis, et acerbissimis torqueri cruciatibus, quo usque à levioribus etiam criminibus absoluti, et ab omni prorsus macula repurgati beatorum sedibus inseri, et Divino conspectu frui

me-

mereantur. (a) Illud tamen commemorare pudet , quod non raro contigisse audivimus , defunctorum scilicet heredes , propinquos , aut extremae ipsorum voluntatis delectos exequutores lucrum ex delicto quaerentes summa defunctos afficere iniuria, piis suffragiis in celebritate funeris adhiberi solitis , ipsos diutissime , aut quod immanius est , perpetuo privando. Quod ut sequantur , cadavera deponenda praeteidunt , ut alio post transferenda perpetua sepultura donentur. Nos itaque advertentes , ex huiusmodi factis Parochorum iura nimium vulnerari , improbamque in mortuos crudelitatem exerceri , quod nec eorum deposita leventur , nec funebria suffragia amplius ad ipsos remittantur , constitucionem provincialem Tarragonensem hac re editam excitandam duximus , non modo praecipientes , ut accuratissime in Dioecesi nostra ab omnibus observetur , sed ad huiusmodi fraudes stirpitus evellendas omnibus etiam Parochis iniungentes , ne ullum cadaverum depositum in Ecclesiis suis

(a) Conc. Florentin. sess. ult. Conc. Trident. sess. 6, can. 30. et alibi.

46 *Recent. Const. Synod. Urgell.*

suis fieri permittant, quin prius intelligent facultatem à Nobis ad id rei defunctorum heredes, aut curatores obtinuisse. Si vero ob temporis angustias, locorumque distantiam ad nos recurri nequeat, poterunt tum Parochi cadaverum deposita admittere; ita tamen ut heredes, aut curatores intra octo dierum spatium depositi facti rationem reddituri ad nostram curiam accedere compellantur, ut quod aequum fuerit, officio, et auctoritate nostra deceernamus.

CONSTITUTIO III.

*Mortuorum corpora non amplius in Ecclesiis
sepeliantur.*

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

VIta functorum intra urbem condita cadavera civium sanitati, (a) intra Ecclesiam vero etiam loci sanctimoniae maxime officiunt: (b) nihil ut mirandum sit, si iteratis utriusque Imperii legibus alibi olim mortui inhumarentur. Apostolis primum, sanctisque Martiribus in Ecclesiis

se-

(a) Leg. 6. Cod. Theod. de Sepulcro violato. Isidorus lib. 14. orig. cap. 12. (b) Conc. Tribur. can. 17. c. 13. q. 2. c. 15.

sepulturae honos deferri coepit ; pro magno habentibus Imperatoria maiestate conspi-
cuis , quod iuxta illorum vestibula consti-
tuti piscatorum fierent ianitores. Satis quo-
que sequioris aevi christianis visum est non
intra Ecclesias sepulturae locum ambire,
sed ad illarum limina in atriis , in porti-
cibus , in exedris tumulari , ab hac etiam
disciplinae laxitate Hispaniae Ecclesia per-
maxime abhorrente. (a) Nunc autem sanctissimas
illas leges communi fere abusione in
viventium damnum , et Sanctorum iniuriam
proculcari videmus , etsi et saeculi Reges,
et Ecclesiae Principes summis votis instau-
rari exoptent. (b) Nos igitur morem , ut par-
est , quantum potuerimus utrique potestati
ex animo gerere cupientes , ut civium etiam
valetudini , Reipublicae bono , et sacerorum
locorum sanctitati consulamus (c) SS. PP.

Con-

(a) Conc. Bracar. I. can. 18. (b) Ritual Rom. sub
Paulo V. (c) Lex 2. tit. 13. Partit. 1. prope finem:
„pero antigamente los Emperadores è los Reyes de los
christianos hicieron establecimientos , é leyes , é manda-
ron que fuessen fechas Eglesiás , è los Cemeterios fuera
de las Cibdades , è de las Villas , en que soterrassen
los muertos porque el fedor de ellos no corrompiesse el
aire , nin matasse los vivos: ” et lex. II. eiusdem : „Que
personas pueden enterrarse en las Iglesiás.”

consilium, Conciliorum rationem, et Synodali-
lum nostrarum auctoritatem memoria re-
petentes, firma, perpetuaque sententia quo-
rumcumque praeterquam Sacerdotum vita
exeuntium cadavera in Ecclesiis tumulari
prohibemus, quibuscumque in contrarium
statutis, constitutionibus, consuetudinibus,
facultatibus obtentis non obstantibus, quas
vi huius nostri decreti tamquam inanes,
et nemini profuturas, suspensas, et omnino
irritas esse declaramus. Et ne Parochiali-
bus Ecclesiis, earumque Parochis dam-
num ullum hac constitutione nostra infe-
ramus, religiosisque ordinibus viam se-
pulturarum lucris acrius inhiandi praepa-
remus, iis pariter utpote in excessibus cor-
rigendis, moribusque reformandis Synodis
nostris subditis, eadem ac Parochis aucto-
ritate, prohibemus, laicis quibuscumque
etiam exemptionis obtentu in Ecclesiis suo-
rum ordinum sepulturae locum elargiri,
ipsorumque temeritatem et audaciam, si per-
vicaces fuerint, omnibus iuris remediis re-
tundere contendemus.

CONSTITUTIO IV.

*In funeribus faciendis, quae nostri Rituales
libri praescribunt omnino serventur.*

D. Fr. Josephus Boltas in *Synodo Urgellensi*
an. 1786.

Querentibus multis, ad Nos delatum est, variis ubique pro quaque fere Ecclesia caeremoniis, ac ritibus iusta mortuis persolvi, in funere praezerosim efferendo, et in responsis ac precibus post sanctum Sacrificium ad tumulum decantandis. Multa inde nascitur exterorum Sacerdotum, atque Parochorum interturbatio, qui quamvis Ritualis caeremonias apprime calleant, non nisi longo usu quid illis agendum sit ediscere possunt. Imo quod magis dolendum est non raro preces, et caeremonias consuetudinis praetextu intermisceri cognovimus, quas nec religio, nec pietas commendant, iurgia tamen, et disputationes subsequuntur. Quum igitur post fidei unitatem nihil diligentius, quam rituum unitas in Ecclesiis retinenda sit (a) res ipsa,

G

mu-

(a) *Dist. II. de Consecrat. c. 31.*

5º Recent. Constit. Synod. Urgell.

munerisque nostri ratio expostulat, ut omnibus imperemus, prout hoc nostro decreto imperamus, ut in unaquaque Parochia Ritualis documenta, ac caeremoniae exactissime serventur, nihil ab illis detrahendo, neque illis quidquam pietatis, aut consuetudinis caussa superaddendo, quo aequabilis inter omnes, omnibusque eadem rituum, et caeremoniarum ratio esse possit.

TIT. X.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

CONSTITUTIO I.

Referuntur abusus ab Ecclesiis tollendi.

D. F. Josephus Boltas in *Syn. Urgel. an. 1786.*

D. Franciscus á Dueña, et de Cisneros in

Synodo Urgellensi an. 1798.

GO hominum pervenit improbitas, ut sanctam Dei domum, quam singulari pietate ac cultu prosequi deberent, summa profanatione, atque impietate deturpent. Dioecesim siquidem nostram perlustrantes, scamnis potius ad immodestius sedendum, ducendumque somnum, quam sanctis ima-

Tit. X. De Religiosis Domibus. 51

ginibus ad orationem excitandam , pieta-
temque fovendam sacras ac divinas aedes
instructas , refertasque reperimus. Laici quo-
que , et ex infima plebe homines Sacrarium
vel Presbyterium concendere non veren-
tur etiam dum sanctiora mysteria celebran-
tur. Juvenes procatius vestiti , capitibusque
reticulis tecti ; mulieres nudo interdum
capite cistulas , sportulas , gallinas , et id
genus alia ferentes , lacrimosos pueros in-
verecunde lactantes sacris ipsis sine ullo
pudore in summum religionis opprobrium
interesse conspiciuntur. Et nihil ut desit ad
Divinum cultum imminuendum , eleemo-
synarum quaestores tota Ecclesia vagantur
adloquentes , strepitum cientes , Sacerdo-
tem perturbantes , orantemque populum
distrahentes. Nullatenus connivere possu-
mus , ut tam irreligiosi abusus amplius to-
lerentur , nisi nostri munera , sanctaeque
religionis impii proditores efficiamur. Ideo
sanctorum Patrum , conciliorumque aucto-
ritate utentes , subsellia nimis multa ab
Ecclesiis extrahi statuimus , iis dumtaxat
relictis , quae Magistratibus , senibus qui-
busdam , infirmis , et forte alicui peculiari

indulto pollenti usui futura sint ; Parochis iniungentes , ut scamma quae relinquenda videbuntur parietibus , aut columnis haerere current , neque adinstar theatalium sedium collocari permittant. Eundem in modum conciliorum auctoritate nixi à Presbyterio laicos , (a) et ab eleemosynis in templo petendis mendicos arceri volumus. (b) Omnibus exemplo Clerici nostri sint; neque caput in Ecclesiis magnis pileis , (vulgo gorros) sed parvis cudonibus (vulgo solideos , ó papelinas) obtectum habeant. Sed illud strictius , religiosiusque cavendum indicimus , ne scilicet mulieres ad flentes suos pueros illiciendos sese impudenter nudent , eosque in Ecclesia lactent , ne forte , ut Lugdunenses Patres loquuti sunt , ibi peccandi detur occasio , ubi peccatorum est venia postulanda.

CON-

(a) *Syn. VI. can. 69. de Consecrat. Dist. 2. c. 30.*

(b) *Syn. Prov. II. Mechlin. tit. 12. c. 17. S. Carol. in Act. Eccles. Mediol. p. 355.*

CONSTITUTIO II.

Ad Capellarum parietes nihil vendendum apponatur, illarumque porticus aut diruantur, aut occludantur.

D. Fr. Josephus Boltas in Syn. Urgell. an. 1786.

Scriptum est : *domus mea domus orationis* vocabitur : auferte ista hinc , et nolite facere domum Patris mei , domum negotiationis. Utinam Nos , nostrosque omnes comministros domus Dei zelus comederet, ac devoraret, ne amplius vel ipsam Servatoris nostri legem à profanis hominibus temerari pateremur. Procul ergo ab orationis domo humana colloquia absint, et à domo Patris omnis exulet mercatura. Quamobrem porticus omnium sacellorum , quae in viis iuxta oppida extuncta conspi ciuntur , veluti totidem conventiculorum , obloquutionum , et detractionum loca , aut funditus everti , aut firma crate , vel ianua interclusi mandamus. Similiter , quum res venales in locis sacris exponendo , sanctiora iura labefactentur , (a) pravam , indignamque hu-

(a) *Syn. Trullana Can. 76. Conc. Gen. Lugdun. c. 2. de Immunit. Eccles. in 6. Synod. Mediol. I. sub S. Carola part. 2. cap. 57.*

54 *Recent. Const. Synod. Urgell.*
huiusmodi consuetudinem , quam in quae-
dam nostrae Dioecesis sanctuaria irrepsisse
cognovimus omnino abolendam indicimus;
severissime inhibentes , ne res ullaे , pia
etiam munera , vel donaria Sanctis oblata ad
sacellorum parietes vendenda affigantur.

TIT. XI.

DE CELEBRATIONE MISSARUM , SACRAMENTO EU- CHARISTIAE , ET DIVINIS OFFICIIS.

CONSTITUTIO I.

*Ubi diebus festis binae Missae in eadem Ec-
clesia Parochiali celebrantur , altera à Paro-
co , à Vicario altera; possunt ambae ab alterutro
celebrari quoties alterum aegrotare , aut iusta
ex caussa abesse contigerit.*

D. Franciscus Cathalán *in Synodo Urgellensi*
an. 1758.

D. Joachimus à Santiyán *in Synodo Urgellen-*
si an. 1772.

*L*onga iam consuetudine invaluisse no-
vimus , in quibusdam Dioecesis nostrae
Parochiis bis diebus festis in eademque Ec-
clesia Sacrificium peragi , et mane à Parochi

Vicario et horam circiter decimam à Parocho ipso , aut vice versa. Igitur huiusmodi usum necessitate quadam inductum , et ad haec usque tempora servatum esse considerantes, quo scilicet fideles omnes Ecclesiae iussa exequentes quoto quoque die festo sacris interesse possint ; ideo Synodi postulatis annuentes harum Ecclesiarum Parochis , istorumque Vicariis facultatem bis rem Divinam faciendi diebus illis festis impertimur , quibus eorum alter celebrare non poterit aut morbo , aut iusta discessus causa impeditus.

CONSTITUTIO II.

Necessitate urgente possunt Parochi binas Missas diebus festis celebrare. Idem conceditur Presbyteris , qui quum alibi celebrare debeant à Parochis evocantur , ut alteram Missam in sua Parochia faciant ex binis , quas Parochi facere deberent nec tamen possunt impedimento aliquo exsurgente.

D. Franciscus Fernandez in Synodo Ugellen-
si an. 1763.

Dominicis , aliisque sanctis sollemnitatibus cuncti fideles ratione praediti sacris omnino interesse debent : quod

tanta est ipsis severitate iniunctum , ut si Missam ex integro non audierint , ex conciliorum sententia Episcopali confusione perculti , excommunicationis sint etiam fulmine inurendi . Hac de caussa Parochorum quidam diebus festis bis sacra peragunt , ne paroeciani ipsorum legem solvant , sed potius servent , qua scilicet tam arce , et sancte constringuntur . Unde quum Divinum sacrificium eodem die iterato offerre , quod olim pietatis caussa permittebatur , iam modo non solum quaestus , sed intentae etiam devotionis gratia vetitum sit , et necessitate dumtaxat suadente à S. Romana Ecclesia permittatur ; Synodi nostrae adhibito consilio declarandum duximus , ne populus Missa careat sanctis iis diebus quibus Missam audire tenetur , posse Parochum ad binas celebrandas Missas praepeditum sibi adscire Sacerdotem , qui pro se sacrum faciat in aliqua ex adnexis ; quamvis alibi , et in diversa Parochia (si aliter fieri non possit) adscitus Sacerdos eodem festo die celebra- re beat.

iberoq; omnes ei est homo audi-
bant : tandem sessioni enim COM-

CONSTITUTIO III.

Parochi, aliqui Sacerdotes, qui, necessitate suadente, binas Missas diebus festis celebrant, possunt ad easdem celebrandas alium sibi substituere Sacerdotem, gravis si id causa postulaverit.

D. Joachimus à Santiyán in Synodo Urgellen-
si an. 1772.

PArochos illos quorum grex in paroecias varias veluti disiunctus ac dispersus est, qui binas propterea Missas, necessitate postulante, festis diebus celebrant, quod iure id suo ad proprii munieris partes adimplendas efficiant, alium sibi substituere posse Sacerdotem declaramus, qui binis etiam in Missis celebrandis ipsorum vice fungatur, quoties ipsi aut necessaria absentia, aut aegritudine, aut gravi alio impedimento detenti huiusmodi munieris sui partem explere nequierint. Quin etiam ut christiani cuncti festis diebus, sacris, ut debent, interesse possint, Synodo postulante, eandem potestatem facimus Parochorum Vicariis, et Sacerdotibus omnibus, quibus,

58 **Recent. Const. Synod. Urgell.**
necessitate etiam suadente per Nos , aut per
maiores nostros bis diebus festis celebrare li-
cet.

CONSTITUTIO III.

*Sub poena suspensionis latae sententiae ad-
stringuntur Sacerdotes ad rem sacram festis
diebus in Ecclesia illa Parochiali faciendam,
cui ex sua ordinatione adscripti sunt , si Pa-
rochus illorum ope indigens , iustoque oblato
stipendio , in Ecclesia sua ipsos cele-
brare voluerit.*

**D. Joachimus à Santiyán in Synodo Urge-
lensi an. 1772.**

NE, quod turpissimum foret , et vene-
randam Sacerdotii dignitatem in sum-
mum discrimen adduceret , Deo dicati mi-
nistri incertis vagentur sedibus , aut da-
mnando otio hebetentur , et pereant ; eo
semper omnes auctoritatis suae , et Eccle-
siasticae disciplinae nervos sanctissimi Pa-
tres intenderunt , quo Clerici omnes in Ec-
clesiam aliquam iam ab ipsa ordinatione
adscribantur , ut ibi suorum graduum mu-
nere sancte , ac religiose fungentes Eccle-
siasticam ornent amplitudinem , et christia-

nam

nam plebem ad pietatis officia prosequen-
da actibus , et exemplo suo concitent. (a)
Omnes itaque Dioecesis nostrae Clericos,
illos praesertim , qui in pagis degentes ad
certum Ecclesiae ministerium delecti non
sunt officiose monemus ac peramanter hor-
tamur , ut sanctarum legum vim , et Pa-
trum auctoritatem memoria repetentes , uti-
litatis sciant dumtaxat, aut necessitatis Eccle-
siarum caussa quibus adscripti sunt clericali
fuisse ordine insignitos, neque ordinationis,
vocationisque suae scopum attingere posse,
nisi Dominicis festisque singulis diebus in Pa-
rochiali Ecclesia , in cuius finibus eorum quis-
que habitat Rectori operam atque adumen-
tum navent ad Divina officia celebranda (b)
aliaque , ut res ipsa postulaverit , sui mune-
ris opera exercenda. Acrius tamen nos com-
movet quod , referente Synodo , audivi-
mus , nempe Sacerdotes quosdam ab ea , in
qua degunt Parochia , et eius Ecclesiae
adscripti sunt in alienam singulis diebus

(a) Conc. Trident. sess. 23. de Reformat. cap. 13. et
cap. 16. Innocentius XIII. in const. inc. Apostolici mi-
nisterii edita 13. Maii 1723. (b) Conc. Mediolan. sub
D. Carolo Borromeo tit. 2. decret. 28.

festis sacrificii peragendi caussa emigrare; neque , Ecclesia in quam adscripti sunt iniuriose contempta, in eadem celebrare velle , si quo die festo proprius Parochus aliquo impedimento irretitus , et alieno indigens ministerio illorum opem , et auxilium imploraverit. Merito itaque ab Synodo rogati , ne amplius Sacerdotes huiusmodi legum , et ordinationis suaे praevaricatores existant , hanc edimus constitutionem, cuius auctoritate omnibus Presbyteris in Parochiis degentibus , et ad peculiare Ecclesiae ministerium non deputatis etiam si beneficio Ecclesiastico potiantur , sub poena suspensionis ipso facto incurrandae praecipimus atque mandamus , ut Ecclesiam in quam adscripti sunt , et in qua degunt alii cuicunque praferentes in eadem Missae sacrificium celebrent iis diebus festis quibus Parochus forte impeditus, iusto oblatio stipendio , illos ad celebrandum invitaverit.

s H

CON-

CONSTITUTIO V.

Singulis Dominicis, omnibusque aliis diebus festis Parochi omnes aliqui que quicunque pa-scendis ovibus praefecti, etsi congruam non habeant, Missam tamen pro populo applicare teneantur.

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

O Ratione maxime placatur Deus, sans ctoque Sacrificio ingentia peccata remittuntur; nihil ut mirandum, si S. Trident. Synodus praecipua Parochorum munia eaque ab omnium sanctissimo, divinoque iure emanantia recensens, inter illa munus pro ovibus Sacrificium offerendi potissimum recognoverit. Quam vero frequenter, oblato speciatim pro populo Sacrificio, animarum curatores Deum exorare oporteat S. Concilii Patres non apertius ostenderunt. Dubitationi tamen locum omnem abstulerunt S. Congregationis decreta, Pontificumque praeepta, quorum sane mole obrui-mur, quibus semper uno animo declaratum, atque pronunciatum est, ex S. Consilii mente, ac inviolabili instituto obstri-

ctos esse ad Sacrificium quoquoque die festo pro ovibus suis offerendum, et applicandum omnes omnino, quibus animarum praefectura, ac cura commissa est. Omnium quoque manibus assidue teritur celeberrima Benedicti XIV. constitutio *Quum semper oblatas &c.* ex cuius tenore, ac verbis, etsi non diligentius perpendantur, satis explratum est, quam gravissima, omni pretextu, atque excusatione damnata, Parochorum quemque, aliove quocumque nomine curam animarum gerentem urgeat obligatio pro sibi commisso populo sacrificium offerendi omnibus diebus Dominicis, aliisque per annum festis, etsi ex iis sint, quibus à servilibus vacare non iubetur. Nihilominus, quod vix fere credidissemus, dum nostrae visitationis munus obire coepimus ad Nos usque fama pervagata est non ubivis in nostra Dioecesi moribus receptam esse adeo sanctam, strictamque legem singulis diebus festis pro populo celebrandi; ad rationem scilicet reddituum celebrationes quibusdam metientibus, quod, ut aiunt, non instar legum obstringentium S. Congregationis, et Pontificum decreta

pro-

promulgata sint. Et vero , quum neque S. Concilii interpretes , neque Pontifices ipsi legem hac de re condiderint , imo veluti iuri divino intimam á S. Tridentina Synodo conditam fuisse declararint ; quumque explorati iuris sit , legum declarationes non esse sicut leges ipsas publicandas , sed quo- quo modo innotescant , legum , quas decla- rant vinculum magis atque magis in utro- que foro inculcare ; ideo Parochos omnes , vacantium Ecclesiarum Oeconomos , cete- rosque omnes quovis alio nomine , ratione , aut titulo animarum curam exercentes per Dominum obtestamur , ut sibi , suoque gre- gi sollertissime prospicientes , omnibus diebus Dominicis , aliisque festis in sui po- puli gratiam sacra Deo faciant , fructum- que , ut dicunt , medium pro ipso specia- tim applicent , frivola omni excusatione sive proventuum exiguitatis , sive non satis aptae promulgationis , sive contrariae consue- tudinis , aliaque quacumque reiecta , atque damnata , quas Nos pariter ut inanes , nul- lius momenti , divinis legibus repugnan- tes , S. Concilio Tridentino , sacrae illius Congregationi , summisque Pontificibus in-

iurias reiicimus , atque damnamus ; auctoritate insuper nostra severissime mandantes , ut praedicta Benedicti XIV. constitutio cum omnibus suis clausulisi conditionibus , restrictionibus , et S. Congregationis declarationibus ab omnibus , quos spectat , exactissime observetur , summis alioqui conscientiae , animique sui cruciatibus , poenisque pro nostra voluntate certius affigendis .

CONSTITUTIO VI.

Processioni festi Corporis Christi , et sollemnibus officiis quae in eius octavis celebantur Clerici omnes , chori habitu induti

**D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.**

Sacro recurrente die , quo dominus noster Jesus Christus singulari cultu , ac veneratione donatur , omnique celebritate , et pompa per vias , ac loca publica ab omnibus adorandus circumfertur ; veluti omnium gloriosissimum triumphum Servatoris sui victoriam celebrantes effuso gaudio , ingentisque affecti laetitia exultare cernuntur qui-

cum-

cumque sibi de christiano nomine gratulan-
tur. Nihil est dubitandum, quin sanctuarii mi-
nistri sanctioris huiusmodi cultus, coelestis-
que gaudii primas sibi partes praeripere de-
beant, verum Deum, et Hominem in Sacra-
mento prodigiosissime latentem in spiritu, et
veritate adorando, omnemque populum mori-
ibus, et incesu suo ad singularem in il-
lum pietatem, venerationemque commo-
vendo. Propterea, quum interiorem cultum,
summamque ex animo reverentiam erga tam excelsum, et venerabile sacramentum
Clericis nostris maximopere commendemus;
quod intimae religionis externam signifi-
cationem attinet, iis etiam omnibus in qua-
cumque Parochia commorantibus, et in
quocumque clericatus ordine constitutis iu-
bendum duximus, non modo ut ad chorum
vestibus amicti sollemni processioni divi-
nisque officiis quae in toto octiduo tam
inefabili Sacramento ab Ecclesia consecra-
to sollemniter celebrentur intersint, sed
etiam ut munere quisque suo optima re-
ligione, et exemplo perfungatur, quod à
Parocho, aut ab Ecclesiae praefecto sibi fue-
rit demandatum.

CONSTITUTIO VII.

Conceditur Parochis facultas benedicendi ornamenti ad usum suae Parochiae.

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

Nitida, munda, sanctoque initiata ritu debet esse supellex altaris ministerio dedicata. Nec graviorum tamen rerum, qua distenti sumus cura satis nobis otii ad omnium Ecclesiarum vestes ad altaris ministerium consecrandas relinquit, nec Parochi multi possunt sine gravi taedio, ac labore illas aliò benedicendas transmittere. Quod profecto in caussa est, ut Parochis omnibus in benevolentiae, et amoris nostri signum facultatem libenter ornamenta, sive vestes illas, et non alias benedicendi impertiamus, quae Ecclesiarum Parochiae suae tantummodo usui futurae sint, et in quibus dedicandis, chrismate praetermissso, non nisi preces, et obsignationes adhibentur.

CON-

CONSTITUTIO VIII.

*Praecipitur nitor, et decor in omni supelle-
ctile sacra, Ecclesiae rituum, et decretorum
diligens observatio in sancta praesertim Eucha-
ristia confienda, ministranda,
et exponenda.*

*D. Franciscus à Dueña eti de Cisneros in
Synodo Urgellensi an. 1798.*

Nihil nos, sanctamque religionem no-
stram commendare, neque optatius
nobis quidquam esse potest, quam rem
omnem sacram, vel in primis sacrosanctum
ipsius Domini nostri Jesu-Christi sacrifi-
cium, quantum in nobis fuerit, et Deus
ipse nobis clementissimus dederit, religio-
se pariter, ac devote conficiendum cura-
re. Nihil ergo interdictum fiat; nihil ius-
sum omittatur, quantumlibet leve, aut
minimum videatur: quin potius sanctiores
Ecclesiae rubricae, Summorum Pontificum
placita, et S. R. C. decreta assidue diurna,
nocturnaque manu versentur; ut in re tanti
momenti offensioni cuicunque, ac piaculo
aditus omnis occludatur. Ne itaque inter sa-
crificandum, quotidiano nos polluamus men-

68 *Recent. Constit. Synod. Urgell.*

dacio , dum dicimus : *Domine dilexi decorem domus tuae* , curam omnem impenda-
mus , ut altaria omnia , in quibus divina
conficiuntur mysteria Sanctorum reliquiis
instructa , et quantum fieri possit , ornata
sint : vasa pariter omnia , vestes , et supel-
lex omnis non nisi honesta valde , et de-
cora ad sanctissimum sacrificium ex pae-
scripto canonum assumatur. (a) Corporalia
vel in primis nitidissima sunt ; sed ut et
dupla , quod permagni interest , adhibeant-
tur vehementer exoptamus. Altarium enim ,
et sacrae supellectilis immunditia religio-
nis splendor mirifice admodum obscuratur ;
et veluti sordibus obvoluta languens , et
intermoriens se prodit fidei ipsius lux ,
quam ex mysteriis ipsis ardentiorem conci-
pere deberemus. Dolentes etiam referimus
quod non modo ad nos allatum est , sed
oculis quoque nostris perspeximus , neque
in hymno post praefationem Trisagio , si-
ve *Ter Sanctus* , neque in sanctae Hostiae ,
et consecrati Calicis elevatione pulsari in
Missis privatis tintinabulum , quo fideles
ad sanctiora audienda , et veneranda sese

(a) *Can. 2. §. 2. et can. 42. de Consecrat. Dist. I.*

diligentius accingant; fidem de vera Christi praesentia in Sacramento excitent, stimulent, et accendant; Deumque ipsum Dominum nostrum Jesum Christum illic re ipsa praesentem religiosius adorent. Alicubi quoque, dum Divina celebrantur, laicos intra presbyterium interesse sacris; sacram etiam Syntaxim in adytis ipsis non modo viris, sed etiam feminis, (quum tamen omnibus sit prohibitum) et ad ipsius altaris suppedaneum ministrari novimus: atque, quod peius, et intolerandum magis est, in frequentioribus, et sollemnioribus communionibus, duas mulieres, obtentu alicuius confraternitatis, utrinque ad Sacerdotis ministrantis latera consistentes fasciam ante communicantes opponi solitam tenere audivimus. Haec omnia, velut pravos abusus rubricis, praeceptis, et decretis Ecclesiae contrarios omnino damnamus, et hac constitutione nostra summa severitate prohibemus. Sanctissimum etiam Eucharistiae Sacramentum temere quandoque, et sine urgente caussa sollemniter exponi acceptimus S. nimirum Congregationis decretis aut foede ignoratis, aut flagitiose contemp-

temptis. Et quum nemo non videat à nostro esse munere alienum haec tacitus praeterire , et veluti silentio nostro soverē; vindices propterea sanctissimi erga divinam Eucharistiam cultus , amplissimaeque sanctae Ecclesiae auctoritatis ad religiosissimam normam illum exigentis , interdicendum duximus , ut hac Synodali lege interdicimus , ne usquam in tota Dioecesi nostra etiam in Ecclesiis Regularium , nisi annuentibus nobis , et ex caussa publica à nobis probata , sanctissimum Eucharistiae Sacramentum , nisi in octiduo festo Corporis Christi , et sanctissimo Ascensionis ad coelum die ad horam nonam ad adoracionem publicam sollemniter exponatur.

CONSTITUTIO VIII.

Praescribitur , quo in posterum stipendio Missae celebranda sint.

D. Franciscus à Dueña , et de Cisneros *in Synodo Urgellensi an. 1798.*

Gentium multitudo , et calamitosa temporum ratio annonae quoque rationem nimium immutavit ; iam ut caro content

stent cibaria, quae vili antea parabantur. Quare egestate premi, et ad pudendam mendicitatem adigi necesse est Dei ministros omnes, quorum victus ex unico, atque admodum tenui Missarum stipendio dependet. Religio ipsa, praeter iura omnia, ipsa quoque humana pietas, et commiseratio illos, ut possimus, sublevare iubet. Indicimus ergo, ut post hac Missae sine cantu septem solidorum et dimidii, cum cantu vero solidorum quindecim eleemosyna celebrentur. Missas tamen ante hanc constitutionem fundatas, seu institutas sive cum, si-
ve sine cantu fuerint celebranda, nullatenus hac nova stipendi accessione comprehensas volumus: imo aperte stabilimus, nihil in illis immutari posse, nisi iusta reductione, et ab eo, qui auctoritate valeat, legitime facienda. Ast in choro canentes tres solidos novemque nummos pro una-
quaque Missa capiunto.

TIT. XII.

DE BAPTISMO, ET EIUS EFFECTU.

CONSTITUTIO UNICA.

Cavetur, ubi intra Ecclesiam fons baptismalis collocandus sit, et quo instrumento ad baptismum aqua fundenda.

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

Driscis rerum instruimur monumentis, baptisteria olim sive loca conferendi baptismi amplissimas fuisse aedes extra Basiliicas ipsas singulari quadam arte constructas. Postquam vero in Ecclesias inferri coeperunt, iuxta ianuam ad laevam in sacello studiosius perornato, et à navi semoto sacrae piscinae, sive baptismales fontes constituti sunt. Nunc Dioecesim circumneuntes ad Ecclesiarum limina baptismi fontem summae dignitatis, ac gloriarum omnium originem plerumque constitutum esse conspeximus. Hinc fit, ut salutaria lavacra, quae omnes utpote ex illis ad coelestem gloriam renati revereri deberent, permultis contemptui sint,

sint, multo scilicet pulvere respersa atque foedata, rusticis etiam, irreligiosisque hominibus super illorum operculum consentibus. Rem quoque aliam emendatione, nostraque cura dignam alicubi perpendimus; sanctas scilicet, ac lustrales aquas pa- rum decente cochleari super baptizandos perfundi. Quo igitur religiosius, sanctiusque Baptismi Sacramentum perficiatur; memo- res, illius virtute plane divina à summa vilitate filiorum irae ad summam filiorum Dei dignitatem baptizatos omnes gloriosissime transferri, Parochos omnes hac nostra constitutione monitos volumus, ut, quan- tum fieri potuerit, sacros Baptismi fontes in seeretorem, magisque plebi inac- cessum locum recondentes, aeternae sa- lutis lavacrum religiosissime, sanctissime- que perficiant, divinae ablutionis aquas, non, ut moris est, vulgari paene cochlea- ri, sed perpulcra, expolitaque conchula ministrantes.

TIT. XIII.

DE CUSTODIA EUCHARISTIAE.

CONSTITUTIO UNICA.

Praescribitur, qualiter custodienda sit S. Eucharistia, ad infirmos deferenda, et venerationi populi exponenda.

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

Ura omnia, omnium etiam Ecclesiarum antiquissimis moribus confirmata, ad aegrotos divinitus reficiendos, et ad christianum populum Dei omnipotentis praesentia, atque virtute recreandum, sanctissimam Eucharistiam diligentissime in sanctioribus locis conservandam constituunt. Summo certe piaculo illius custodibus verteretur, si sese incautius gerentibus ob eorum negligentiam, aut irreverentiae quidquam à parum religiosis hominibus, aut atrociorē forte iniuriam à sacrilega manu pateretur. Quum igitur viscera misericordiae suae in ingratissimos etiam homines profundens Servator noster Jesus Christus nihil nobis praestantius relinquere potens, semetipsum nobis

Tit. XIII. De custodia Eucharistiae. 75

bis in sanctissima Eucharistia perpetuo
fruendum reliquerit ; nihil quoque nobis
magis curae esse debet , quam ut eam in
loco omnium mundissimo , atque ornatissi-
mo ad cultum , et pietatem commovente
sollertissime custodiamus , illamque gratis-
sima animi recordatione , perpetua sum-
maque veneratione prosequamur. Id ut
felicius obtingat , praeter ea quae Eccle-
siae leges de fidelissima Eucharistiae custo-
dia praescribunt , insuper statuimus , ut sa-
crariorum , sive thecarum S. Eucharistiae
claves decore elaboratae , atque inauratae
sint : quas , quum ob securiorem Sacramenti
custodiam , promptioremque , si opus fuerit ,
administrationem sacra Congregatio Par-
ochos secum retinere , et afferre iusserit ; Nos
publice , palamque fune serico , aut argentea
catenula é collo ad pectus demissas ab omni-
bus Parochis saltem intra officialatum suo-
rum fines deferendas iubemus ; spem scili-
cet non inde exiguum concipientes maxi-
mo hortamento , et Parochis , et plebibus
fore ; illis ut quid suo sancto muneri de-
beant secum assidue reputent ; istis quid
tanto Sacramento eiusque Ministris , non diu-

tius obliviscantur. Ut tanto etiam Sacramen-
to condignus semper honos habeatur , sum-
mis votis expetimus , ut quotiescumque
morbo laborantibus fuerit ministrandum ,
si aut satis frequens populus non conveniat,
aut non idoneus luminum numerus adsit,
aut aulaeis (vulgo *paños de varas*) ubi ha-
bentur non obtegatur ; non consueto , et
praegrandi pixide , sed capsula quadam ar-
gentea intus inaurata , et in bursa ex se-
rico albo recondita , et ab humeris pen-
dente , quantum fieri possit religiosissime
deferatur. Tunc vero eundem in modum ,
ac si ex maiore pixide S. Eucharistia de-
cumbentibus administrata fuisse , cum illa ,
sive cum particulis superstitibus ad Eccles-
iam Sacerdos redeat , ut divino cultu á
comitantibus , et spectantibus honoretur.
Quod si aut ad divinam iracundiam lenien-
dam , aut summam Dei bonitatem ad au-
xilium nostrum provocandam gravis , ur-
gens , communisque caussa postulaverit , ut
venerabile Sacmentum ob oculos homi-
num exponatur , quo Dei praesentia com-
moti , Divinoque aestuantes amore vehe-
mentius , ac puriore mente orantes Deum
ad

Tit. XIII. De custodia Eucharistiae. 77

ad postulatis, votisque nostris annuendum securius alliciamus; lumen etiam, populi frequentiae rationem habendam esse volumus, omnino interdicentes, ne si alterutrum contra rubricarum praescriptum desideretur, ad S. Sacramenti expositionem ullenus procedatur.

TIT. XIV.

(DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS VEL REPARANDIS.)

CONSTITUTIO UNICA.

Prohibetur altarium erectio, et templorum constructio, perpetua dote ad eorum conservationem non assignata.

D. Joannes Garcia in Synodo Urgellensi

an. 1781.

SAcras aedes, et quaecumque Deo dicata loca omni ornatu florescere, et ad divinae religionis ministeria in illis peragenda, nitida, et optima supellectile instructa esse oportet. Propterea non parvo pudore afficimur quum ex multorum iteratis querelis, et ex Synodi sermonibus ad

au-

aures nostras defertur, Ecclesias multas vetustate collapsas sordidis usibus patere, alias restaurandas ad ruinam praecipites vergerre, aliasque non paucas tanta inopia laborare, ut parum decoris, imo detritis vestibus sanctiora mysteria in ipsis peragantur. Cuius rei caussam inquirentes in eo positam esse intelleximus, quod nec praefixa dote, nec designatis redditibus tempa construi permittantur. Quod sanctorum canorum institutis quum penitus aduersetur (a) ad Ecclesiae legum auctoritatem vindicandam, et divinum cultum promovendum omnino interdicimus, ne deinceps altaria, sacella, capellae, tempa ulla extra Parochiales Ecclesias erigantur, quin prius aedium conservationi, saera supellectile, aliisque necessariis, perpetuis designatis redditibus, satis apte provideatur.

TIT.

(a) Cap. 1. de Censibus &c. Cap. 8. de Consecrat. Eccles. vel altaris. Can. Nemo Ecclesiam 9. de Consecrat. Dist. I.

TIT. XV.

NE CLERICI, VEL MONACHI SECULARIBUS
NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

CONSTITUTIO UNICA.

*Procuratores esse laicorum, eorumque bona
administrare Clericis interdicitur.*

D. Franciscus Fernandez in Synodo Urgel-
lensi an. 1763.

D. Franciscus à Dueña, et de Cisneros in
Synodo Urgellensi an. 1798.

Clericorum mores, et actus in melius
semper reformari convenit; neque
parum in ordinis clericalis vituperium re-
dundare noscitur, quum illorum vita lai-
cis scandalum generat, quae nunquam non
debet praestare ipsis honestatis exemplum.
Quamobrem tanquam vile quidquam, et
quod sacerdotalem ad nihilum redigat re-
verentiam nova pariter, et antiqua Ecclesiae
iura Clericis interdixerunt non modo proce-
ratorum munus pro laicis exercere, sed ipso-
rum quoque rei familiaris curam ad se revo-
care. (a) Ergo ex Synodi Concilio Sacerdoti-
bus

(a) Conc. Later. sub Innocent. III. c. 16. Conc. Trident.
sess. 22. de Refor. c. 1. Cap. 2. Ne Clerici, vel Monac. &c.

bus omnibus , cunctisque ditionis nostrae Clericis per hanc constitutionem nostram publice denuntiamus , ne ministri laicorum fiant , neque in rebus eorum procuratores existant. Indignum quippe est , (quod de quibusdam tamen Clericis audivimus) huiusmodi officiorum obtentu divino cultui mancipatos homines Judicum praetoriis , nundinis , mercatibus assiduos potius esse quam divinis rebus , et sanctis Sacerdotii ministeriis. Si qui autem , ecclesiastica dignitate neglecta , canonum sanctitati , et huius constitutionis nostrae robori illudere tentaverint , canonicis sciant poenis ex arbitratu nostro fore coercendos.

TIT. XVI.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

CONSTITUTIO I.

Matrimonium contracturis praeviae denuntiationes , insciis illorum Parochis , minime remittantur , nisi gravi interdum ex caussa alter faciendum expediat.

D. Franciscus Cathalán in Syn. Urg. an. 1758.

Nuptialia foedera clandestinè contracta , etsi non semper irrita esse censuit , omni

omni tamen prorsus aetate damnavit Ecclesia atque detestata fuit. (a) Quum vero quae coram Parocho et testibus contrahuntur matrimonia, denuntiationibus omissis à S. Trident. Synodo statutis, clandestinum quid sapere, et non raro contra priorum sponsalium fidem iniri videantur; eo usque nuptiarum sanctitati, et sponsalium fidei consultum volumus, ut hac constitutione nostra decernamus, si quandoque iusta de caussa matrimonio copulandis indulgendum fuerit, ut ad matrimonium non praemissis denuntiationibus procedant, praemonendum fore Parochum, quó dolo illorum malo, et fraudibus occurtere possit, nisi gravis forsitan intercedat ratio quae Parochum etiam de remissis denuntiationibus caelare suadeat.

L

CON-

(a) *Conc. Trident. de Reform. Matrimonii cap. I.*
Conc. Lateran. II. c. 51.

CONSTITUTIO II.

Officialibus foraneis inconsultis, interesse possunt Parochi suorum parochianorum matrimoniis, quamvis contrahentium alter alienae exempti alicuius iurisdictioni subdatur, dummodo intra limites Dioecesis sit.

D. Franciscus Cathalán in Synodo Urgelensi an. 1758.

QUÒ iniustis, et irritis matrimoniis validius occurratur, optimo consilio qui nobis in Episcopali cathedra praeesserunt Parochis interdixere, praesentia, et auctoritate sua illorum matrimonia firmare, quorum uterque, aut alteruter alienae dioeceseos esset, nisi prius Episcopi ipsi aut ipsorum Vicarii generales, vel ob Paroeciarum vicinitatem officiales foranei licentiam atque facultatem scriptis suis dedissent.
 (a) Quarum constitutionum nomine ac praetextu novimus officiales quosdam foraneos, aut auctoritatis cupidos, aut consilio praeципites taedio afficere Parochos, qui non obtenta ab ipsis licentia, illorum matrimoniis

(a) *Synod. Urgellen. habita an. 1715. Synod. item Urgellens. habita an. 1747.*

niis intersunt, è quibus alter sub potestate existit alicuius Prioris, Praepositi, Abbatis, aut quovis alio nomine exempti, etsi Diocesis nostrae finibus teneantur. Quapropter, Synodo postulante, declarandum duximus, inconsultis omnino officialibus, posse Parochos huiusmodi interesse matrimoniis, quotiescumque iniri contigerit. Imo, quod contrarius usus iura nostra Episcopalia quodammodo laedat, severitate nostra quibuscumque officialibus, et Parochis interdicimus, hos facultatem huiusmodi petere, illos eam elargiri, si quis ipsam imprudenter petierit.

CONSTITUTIO III.

Cavetur, qua ratione Sacerdos non Parochus possit interesse contrahentium matrimoniis, facta sibi ad id muneris potestate ab Episcopo, aut ab eius Vicario generali.

D. Franciscus Fernandez in Synodo Urgellensi an. 1763.

D. Joannes Garcia in Syn. Urgell. an. 1781.

A D fidem praestitam observandam omnino commonendi, ac modis omnibus inducendi sunt qui ad matrimonium con-

trahendum , interposita sese fide obstrinxerunt : cuius si violatores extiterint , iura simul omnia divina , et humana polluere necesse est; severioremque ex canonica disciplina ob tam nefandum crimen deberent age re poenitentiam. Nihilominus ex Synodi verbis intelleximus , nimium crebro flagitosissimos quosdam , et perditis moribus viros , sponsalium fide ementita , prioreque sponsa iniuste deserta , non sine maximo illius damno , totiusque reipublicae christianaे offensione , et scandalo ad alias volitare nuptias , novasque sponsas sceleratis sibi matrimoniis copulare. Et quoniam nostri muneris est iis mederi malis ex quibus res christiana laborat , exploratum habentes ad huiusmodi facinora perpetrandam , et prava coniugia ineunda plurimum conferre , quod , insciis Parochis , futurorum matrimoniorum denuntiationes remittantur , illisque intercedendi facultas Sacerdotibus non Parochis praebeatur ; ideo Synodo approbante , hanc edimus constitutionem , quam firmiter statuimus , atque sancimus , ut , si forte futuri matrimonii denuntiationes contrahentibus remittantur , et horum matri-

moniis vice Parochi assistendi facultas alicui
Sacerdoti detur , qui proprius contrahen-
tium Parochus non sit , nullo modo Sacer-
dos iste data sibi facultate uti possit , neque
illius vi matrimonio interesse , quin prius
proprios hac de re contrahentium Parochos
certiores reddat , atque ex ipsis sciat , et
contrahentes libertate gaudere , et matri-
monium omni prorsus iniuria , culpaque va-
care.

CONSTITUTIO III.

*Scriba curiae Episcopalis tenetur Parochos
matrimonium contrahere volentium admone-
re de impedimentis obiectis , atque in
curiae libris adnotatis.*

*D. Joachimus à Santiyán in Synodo Urgellen-
si an. 1772.*

Mproborum hominum conatibus vix, sum-
mo etiam adhibito studio, summaque di-
lignantia occurri potest. Ut nequitia excel-
lere , ita et vafritia saepe eos vincere vi-
demus ; qui nihil quandoque intentatum
inexpertumque relinquunt , ut iniusto se-
maculent matrimonio priorum etiam , quae
contraxerant sponsarium fide , ac religione
pol-

polluta. Ab huiusmodi flagitiis à quibus non modo christiana dogmata aliena sunt, sed ipsa etiam naturae ratio abhorret, commissum nobis gregem amovere conantes, primum Dioecesanas leges, et Praedecessorum nostrorum instituta innovamus, quibus sapientissime cautum est, ne matrimonium contracturis praeviae denuntiationes in Ecclesia facienda facilius, et leviori forsitan ex caussa remittantur. Insuper quoniam perspectum habemus, aut metu deterritos, aut pudore suffusos non audere paroecianos suis indicare Parochis matrimoniorum impedimenta, quorum notitiam ad nostram curiam occulte detulerunt, et ob hanc caussam, inscientibus Parochis, non pauca nefaria, atque iniusta confici matrimonia; scribae nostrae curiae huiusmodi nostro perpetuo imperamus edicto, ut statim atque obiecta impedimenta in suos libros retulerit, Parochos contrahentium hac de re moneat, ne bona Parochorum fide, et mala contrahentium conscientia ad iniusta matrimonia contra legum sanctitatem flagitiose procedatur.

CONSTITUTIO V.

Matrimonia contrahenda nullo modo proclamantur, quin prius contrahere volentes, iusto examine facto, in doctrina christiana habiles inveniantur, et de parentum, aut illorum consensu constiterit, quorum intersit consentire.

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

Duae res sunt quae et matrimonii sanctitatem sua improbitate inficiunt, et christiana plebi grave scandalum, et offensionem obtrudunt; contrahentium scilicet in re christiana imperitia, eorumque criminosa, et obstinata voluntas parentum iniussu, aut, quod iniquius est, contra ipsorum iussa contrahendi. Nostrarum ergo partium quum sit tam ingentia mala à Nobis commisso grege acerrime submovere, aut si id omnino praestare nequiverimus, aliqua saltem ex parte comminuere; quod catechismum attinet, ne, ut interdum accidere solet, factis proclamationibus, cum contrahentium infamia, et plebis scandalo ob catechismi ignorationem matrimonium diutius

pro-

protrahatur , plurimorum Conciliorum , atque summorum Pontificum auctoritate duci , Parochis omnibus graviter prohibemus matrimonium ullum ne prima quidem denuntiatione contrahendum proclamare , priusquam illud contrahere cupientes ad diligentius examen revocati instructione christiana sufficienter imbuti videantur . De paterno consensu non possumus nisi cum Ecclesia ipsa sentire , quae omni prorsus aetate filiorum familias matrimonia parentum consensione destituta velut iniquissima flagitia execrata est . Sed Ecclesiae lex ad huiusmodi nuptiales nexus evertendos sola effraenatae libidinis caussa plerumque quaesitos imbecillior semper extitisset , nisi severissimis piorum Principum sanctionibus fuisset fulta , et communita . Qua in reminem latet , quantam operam contulerit Carolus III . Rex noster pientissimus ob egregiam Regni sui curam atque in S. Ecclesiam cultum , et observantiam nunquam satis commendandus , ut à tam detestabili nuptiarum faece regnum suum repurgaret . Parochis ergo iniungimus , ut sanctissimas Ecclesiae , sapientissimasque Regni leges
prae

prae oculis habentes filiisfamilias , aliisque,
qui alterius subsunt potestati sine parentum,
aut maiorum , quorum interest , consensu
matrimonium contrahere volentibus omni
studio , atque conatu obsistant , non modo
ad contractum procedi non permittendo ,
sed ne illum quidem faciendum in Ecclesia
proclamando , nisi prius de legitimo ma-
iorum consensu , aut , iis dissentientibus, de
iniusto dissensu ex legitimi iudicis senten-
tia certiores reddantur. Atque ut fraudibus
omnibus occurramus maiorum consensum
in denuntiationibus ipsis exprimendum , in-
iustumque dissensum etiam indicandum vo-
lumus. Quamobrem , maiorum habitu con-
sensu, proclamationum formula hunc in mo-
dum in tota Dioecesi concipitor : *Matrimo-*
ni se ha tractát , y mediant la divina gracia
del Esperit Sant , concordat ab ple consenti-
ment de tots los interesats segons Reals dispo-
sicions &c. sin vero maiores iniuste dissent-
re idonei iudicis sententia comprobetur ;
tunc matrimonium ita proclamator : *Matri-*
moni se ha tractát , y mediant la divina grá-
cia del Esperit Sant concordat ab plena lli-
bertat pera contraurerlo , si no obsta impedi-

ment Ecclesiastic, ó Canonic &c. Quo etiam ad iniqua, et scelerata matrimonia contrahenda via omnis intercludatur, praedecessorum nostrorum statuta confirmantes, volumus, ut si quando gravissima caussa praeviae matrimonii denuntiationes fuerint omittendae nequaquam in curia nostra dispensationis litterae concedantur, Parochis contrahentium insciis, nisi forte rarissimus id eventus postulaverit.

TIT. XVII.

DE INIURIIS, ET DAMNO DATO.

CONSTITUTIO I.

Arcentur laici à criminibus Clericis temere obiiciendis, iudicibusque Ecclesiasticis illorum accusationibus deferre prohibetur, nisi idoneam prius praestiterint cautionem.

D. Francis. Cathalán *in Syn. Urgel. an. 1758.*

D. Joachimus à Santiyán *in Synodo Urgelensi an. 1772.*

D. Joannes Garcia *in Syn. Urgell. an. 1781.*

Veneranda Patrum antiquitas maximam iis damnationem imminere censuit, qui Patribus legatione Dei fungentibus contumeliam inferunt. Ideo pravorum hominum

Tit. XVII. De Iniuriis, et Damno dato. 91

num effraenata maledicendi , et criminandi licentia perculta , saepissime sanxit , non esse Dei ministros à plebe , aut vulgaribus hominibus arguendos ; neque fas esse laicis Clericos accusationibus suis quomodo cumque adoriri. Huiusmodi tamen sanctissimae leges quum labentibus saeculis obsoletaverint , et aditus laicorum iniustis adversus Clericos querelis apertus est , et illorum excrevit , sacerdotali dignitate despecta , venerandos Dei Sacerdotes execrabilis , et ardens infamandi libido. Quam , quum Ecclesiae Pastores summi animarum saluti , atque optimae Clericorum existimationi consulentes , aut funditus evertere , aut maxima ex parte minuere conarentur ; perpetua lege cautum voluerunt , ne laicorum hominum in Clericos accusatio admittatur , nisi et cautione data , et accusatoris nomine inscripto. Nos vero intuentes non paucos , illosque clarissimi nominis in hac Episcopali sede praedecessores nostros sanctorum placita veneratos easdem leges in suis Synodis condidisse ; animadvergentes insuper , quod illae in desuetudinem abierint saepius laicos falsis criminum obie-

ctionibus cum non contemnenda bonorum , et ecclesiastici nominis iactura innocentes Clericos impetere ; huiusmodi nimium crebris , malignis , et iniustis criminationibus ianuam p^raeccludere volumus ; petente scilicet , et postulante Synodo , hoc inviolabili decreto nostro constituentes , ne posthac , accusante laico , ad iudicium in caussa criminis Clericus ullus convenire cogatur , quin prius ex litteris citatoriis ad se missis aperte rescierit , accusatorem , et à iudicio non discessurum spoondisse , et iudicatum solvi satis dedisse. Quod si aliter quam hac constitutione nostra sanctum est fieri contigerit , acta iudicialia omnia viribus caritura irrita , et nullius roboris fore declaramus.

CONSTITUTIO II.

Innovatur praecedens constitutio.

D. Franciscus à Dueña , et de Cisneros *in Synodo Urgellensi an. 1798.*

Nullatenus nostro , ut par est , nomini consulemus , nec venerando , ac sanctissimo ordini nostro debitum reddemus honorem , nisi memoria repetentes , celsissima Dei ministrorum amplitudine donatos , vitam , moresque nostros sic composuerimus , nemini ut offensioni simus , omnibus autem imitationi , et exemplo . Ita quorundam iniquorum hominum non parum compesce- mus insaniam , qui , detestando in Ecclesiasticum ordinem livore , saepius venerandos Dei ministros sparsis obtrectationibus deterunt , eosque non raro per summum nefas iniustis querelis , et malignis criminacionibus in iudicium arcessunt , in suam utique ipsorum perniciem , et Ecclesiastici ordinis dedecus , et infamiam . Ut ergo huiusmodi scelera è medio tollerentur , aut aliqua saltem ex parte coercerentur ; iteratis Synodis sancitum fuerat , Clericorum neminem in caussa criminis , accusante laico , conveni-

re cogendum, quin prius ex litteris citato-
riis ad se missis aperte rescisset, accusato-
rem et à iudicio non discessurum spo-
pondisse, et iudicatum solvi satis dedis-
se. Quum tamen sanctiones illas, quamvis omni
iure, et aequitate firmatas subinde con-
temptas fuisse intellexerimus; eas innovan-
das, auctoritateque nostra omnino fulciendas
duximus. Aliud dumtaxat ius esto, si Magi-
stratus saeculi, ut Praetores, et Praefecti
plebium regimini non privatorum homi-
num, sed Magistratus publici personam
sustinentes, iudicium criminis contra Cleri-
cum aliquem instituerint.

TIT. XVIII.

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

CONSTITUTIO I.

*Vicarii conductitii extra Parochiam, cui in-
serviunt fidelium confessiones utpote iuri-
dictione carentes excipere nequeunt, nisi ad
confessiones suorum paroecianorum audiendas
à propriis Parochis vocentur, et invitentur.*

D. Francis. Fernandez in Syn. Urg. an. 1763.

UT nullus alterius parochiae terminos aut
ius invadat, singulas singulis Presby-
teris

Tit. XVIII. De Poenitentiis, et Remiss. 95
teris Ecclesias , et Parochias iam ab initio
datas scimus. (a) Alienum etiam parochia-
num iudicare , eius confessionem audire,
ipsum absolvere aut ligare nemini quoque
nisi proprio Sacerdoti licet. (b) Vicarii igit-
tur ad tempus et conductitii parochiae cui
inserviunt limites ad fidelium confessiones
audiendas nequaquam egrediantur , nisi ad
id muneris speciatim à propriis Parochis
fuerint ad suas parochias evocati. Quod si
constitutioni huic nostrae non obtempera-
verint , ob defectum iurisdictionis qua ipsos
carere volumus , confessiones irritas , et nul-
lius momenti futuras esse sciant , et gravi-
ter idcirco à nobis pro merito puniendos.

CONSTITUTIO II.

*Confessariorum , et concionatorum munera
exercere volentes coetum examinatorum in
Episcopali Civitate erectum examinis
caussa adire compelluntur.*

D. Fr. Josephus Boltas in Syn. Urg. an. 1786.

A Cerbo dolore conficimur quoties in
memoriam revocamus coelestium cla-
vium

(a) *Can. Ecclesias un. caus. 13. quaest. 1.* (b) *Cap.*
Nullus 3. de Parochis , et alienis Parochianis. Cap. omnis
12. de Poenitent. et Remissionib.

vium ministros utpote iudicis , et medici personam sustinentes multa unde quaque scientia , eruditione , et prudentia praeditos esse oportere. Siquidem non temere suspicamur , è tam multis quibus in nostra Dioecesi celsissimi huius muneris partes commissae sunt fortasse fore non ullos non tantum in Theologia morali edoctos , quantum ad illud digne exequendum omnino necessarium est. Quandoquidem huc , illucque ad illorum aptitudinem explorandam remitti sine discrimine ullo consueverunt , cum quibus aequo liberalius ac benignius examinatores egisse non dubitamus. Concionem etiam ad populum habere res est plane difficillima; à qua , quum per pauci sese feliciter expediant , nimium multi sanctarum scripturarum imperitissimi , in sanctis Patribus ne minimum quidem versati , artis bene dicendi omnino ignari , praeceptorum suadendi , et dissuadendi prorsus inscientes nullum alium ex suis concionibus fructum percipere videntur , quam sui ipsorum , et tam saeri muneris contemptum in reipublicae christianaे damnum , et religio- nis opprobrium. Haec Nos profecto , no stram-

stramque Synodum commoverunt , ut sapientissimorum virorum, aequorumque iudicium coetum in nostra Episcopali civitate constituendum decerneremus, ad quem examinandos se sistere debeant quicumque ministeriorum concionandi, et fidelium confessiones excipiendi participes esse voluerint , sive Oeconomi sint , sive Vicarii , sive ultro , suaque sponte conciones habendi , et confessiones audiendi munera obituri. Et quum ad huiusmodi examina facienda menses Maium , et Septembrem communi suffragio veluti omnium commodiores designaverimus ; in nostram curam suscepimus praefigere tempus , quo binis illis mensibus singuli convenire debeant ; quod , habitatione tractuum , et locorum , in utilitatem omnium exhibebimus.

CONSTITUTIO III.

Conceditur Parochis facultas absolvendi à peccatis Episcopo etiam in Synodo reservatis, incestuque pollutis liberum matrimonii usum restituendi, certis limitibus constitutis.

D. Fr. Josephus Boltas in Synodo Urgellensi
an. 1786.

¶ Erpaucā quidem, eaque non nisi ad
aedificationem atrociora, et graviora
crimina maiores nostri iudicio suo sistenda,
sententiaque sua solvenda sibi reservave-
runt. Perditissimi tamen homines postquam
sese tam nefariis criminibus maculaverunt,
non raro tandem obstinationis etiam, et
impoenitentiae iaculo confodiuntur; dum
absolutionis sententiam alibi dandam negli-
gentes, veluti desperantes, excussoque
fraeno ad nova potius scelera perpetranda
praecipites efferuntur, quam ad delenda,
deplorandaque commissa ullo modo incum-
bant. Ne ergo hac occasione crimina repe-
tantur, multique pereant, qui forte non per-
irent; in animum induximus reservationum
vincula in animarum commodum aliquantu-
lum

Tit. XVIII. De Poenitentiis, et Remis. 99

lum relaxare. Hac de caussa Parochis omnibus nostrae Dioecesis , utpote qui et scientia , et munere suo plurimum apud nos commendantur , potestatem facimus parochianos suos ubicumque , alienos autem parochianos nonnisi in Ecclesiis propriae iurisdictionis, à peccatis quibuscumque Nobis in Synodis nostris reservatis absolvendi , dummodo occulta sint , nullo autem modo si sint publica. Si quem vero matrimonio coniunctum incestus crimine se polluisse , indeque iure ab uxore sua petendi debitum se fraudasse contigerit , Parochis etiam potestatem concedimus liberum huiusmodi integrumque matrimonii usum iterum concedendi , sive ad petendum debitum habilitandi. Hanc tamen facultatem hisce iustis limitibus circumclusam , et non aliter delegamus; *quod nimirum incestus sit occultus , et quod habilitatio fiat intra confessionem.* Incestu occulto , poterit Parochus suos parochianos tantum intra confessionem ubicumque sive in parochia sua , sive extra illam ad petendum debitum habilitare ; alienos autem parochianos solum in parochia sua incestu etiam occulto , et intra confessionem.

CONSTITUTIO III.

*In quolibet Dioecesis officialatu examinato-
rum conventus statuatur ad iustum subeun-
dum examen quicumque voluerint , potesta-
tem sibi fieri , aut fidelium confessiones au-
diendi , aut ad populum conciones
habendi.*

D. Franciscus à Dueña , et de Cisneros in
Synodo Urgellensi an. 1798.

*F*oelicis recordationis Antistes, qui in hac
Episcopali cathedra, quam immerentes
tenemus , Nos proxime praecessit, sapientis-
simi suo synodali edicto ratum voluit , ne
cui sacratiora confessiones audiendi , et
conclaves habendi munera conferrentur,
quin prius severioris examinis discrimen
subiisset, et secundum ipsum constituti iudic-
es sententiam protulissent. Ob hanc ergo
caussam viros sapientia pariter , ac integri-
tate praestantes selegit, qui huiusmodi iu-
diciario munere in urbe fungerentur. Res
tamen edocuit ipsa , quamplurimos maxi-
mo locorum intervallo , bidui etiam itinere
ab urbe seiunctos, annis graves , viribus , et

Tit. XVIII. De Poenitentiis, et Remis. 131

impendiis faciendis impares , ne maximo quidem damno potuisse illuc convenire; ut et praestantissimum consilium illud ab iiciendum fuerit , et remissoriis ad singulares examinatores litteris saepissime , ut antea utendum. Nos autem rem omnem cum nostra Synodo attentius considerantes, impedimentis omnibus occurri posse perspeximus, si non modo in urbe , sed in unoquoque etiam Dioecesis nostrae tractu , seu officialatu trium examinatorum coetus constituatur ad examen apud illos subeundum quicumque ex illo officialatu in confessariorum , aut concionatorum numerum fuerit cooptandus. Quare ita in posterum faciendum hac nostra constitutione sancimus , iam nunc primas illius coetus partes officiali foraneo concedentes , binos alios opportuno tempore cuique coetui creaturi. Nihil namque pastoralem aequem curam nostram exagitat, quam ut aeternae ovium saluti , et ministrorum existimationi , et aptitudini prospiciamus.

CON-

CONSTITUTIO V.

*Permittitur Parochis licentias Vicariis , et
Coadiutoribus suis ad modicum , ac certum
tempus , et ex iusta caussa prorogare.*

D. Franciscus à Dueña et de Cisneros *in*
Synodo Urgellensi an. 1798.

Nuntiatum est Nobis , non raro evenire ,
ut Parochorum Vicarii , et Coadiuto-
res , quibus , ut suo munere fungerentur , ad
certum dumtaxat tempus potestas facta fuerat ,
exacto iam tempore praestituto , aut exactio-
ne impendente , vel ob temporis cruditatem ,
aut valetudinis caussa , aut quia imminet sol-
lemnne festum nequeunt Nos nimio loco-
rum intervallo distractos statim convenire ,
quo iisdem , si Nobis visum fuerit quas
habuerant facultates instauremus . Et Nos ,
qui in omnes liberales , in Parochos etiam
munifici esse vehementer peroptamus ; fa-
cile , Synodo postulante , adducti sumus , ut
iis , aut aliqua alia forsitan urgentiore caussa
occurentibus , Parochis potestatem conce-
de-

Tit. XVIII. De Poenitentiis, et Remiss. 103

deremus , ut hac nostra constitutione concedimus , Vicariis suis , et Coadiutoribus (nullo tamen modo Sacerdotibus aliis etiam suae parochiae) illorum facultates praescripto , et iam finito tempore circumclusas ad binas usque hebdomadas propagandi. Atque , quum haec à Nobis in Parochos profecta liberalitas ad ipsorum commodum , honorem et dignitatem plurimum pertineat; praestanti illorum prudentia freti spe tenemur , nunquam illa abutentes quidquam commissuros , quo à Nobis , aut successoribus nostris in posterum eripienda videatur.

**LAUS DEO , BEATISSIMAEQUE VIRGINI MARIAE
ABSQUE ORIGINALIS NAEVI SUSPICIONE
CONCEPTAE.**



